

# Wolfgangus Waldungus

‘Orestes’

Tragoedia  
(1593)



Jan-Wilhelm Beck

Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg

Juni 2006

## Personae seu Interlocutores

Argumenti recitator	
Clytemnestra	Agamemnonis coniunx
Pedissequae mutae	
Nutrix	
Aegystus	adulter
Satellites muti	
Eurybates	nuncius
Vmbra ex inferis	
Agamemnon	Rex Graecorum
Milites muti	
Cassandra	capta Priami filia
Electra	Agamemnonis filia
Orestes parvulus mutus	Agamemnonis filius
Orestes grandior	Agamemnonis filius
Pylades	Strophii filius, fidus amicus Orestis
Paedagogus Orestis	
Chrysothemis	Agamemnonis altera filia
Menelaus	Rex, Helenae maritus
A latere muti	
Helena	Menelai uxor
Hermione	Helenae filia
Tyndarus	Clytemnestrae parens
Puer ducens caecum	
Phryx servus barbarus	
Dux militum	
Iphigenia	Sacerdos, Agamemnonis filia tertia
Rusticus	
Subulcus	
Opilio	
Rustici muti	
Vestalis prima	
Vestalis secunda	
Vestalis tertia	

## Argumentum

Historia, quam dialogi forma exhibituri sumus, satis tristis et magnis motibus concitata est, Spectatores omnium ordinum ornatissimi, ab Euripide, Sophocle et Seneca nobis relicta.

Graeci, ut ob raptam Helenam Troiam expugnarent, classe maxima exeuntes, Agamemnoni summum imperium detulere ipsumque exercitui praeposuerunt. quia autem bellum ad multos annos extrahebatur, Clytemnestra fidem coniugalem frangit et redeuntem maritum caeco Aegysti amore ebria obtruncat. postquam enim libidini fenestram aperuit, toto ostio admista fuere reliqua vitia. Electra videns fratrem in eodem haerere periculo, eum in Phocidem clam ablegat. hic aetatis progressu grandior factus et iniuste ferens adulteros parentum occupare regnum, communicato cum amico optimo Pylade consilio, acceptae iniuriae ultionem parat. ignotus in patriam rediens, matrem cum adultero interficit. facinus ira divina mox persequitur, et tanti sceleris conscientia vesanum et furiosum reddit Orestem; populus quoque ipsum cum sorore ad mortem quaerit. in extremis ergo constitutus, ad extrema, ut fit, descendit: Helenam illam pulcherrimam Graeciae obtruncat; etiam Hermioni, ni pater Menelaus de salute ipsius caveat, manus se iniecturum minatur, regiam quoque se igni traditurum. Menelaus ut sua servet filiaeque saluti sit, ipsum solum vertere iubet. oraculi ergo de morbo fugando auxilium exposcit Orestes; quod respondet: Iphigeniam sororem et simulachrum illius templi ex Tauris Athenas transferenda esse. longum iter et periculosum ad obtinendam priorem valetudinem comitante Pylade suscipit. sororem illius loci Sacerdotem offendit; quae quoniam ipsum non noverat, pro more regionis illius tanquam hostiam Dianae sacrare instituit. sed dum bene longum inter se habent sermonem, agnoscunt se invicem, in patriam imagine sacra fraude ablata redeunt.

Silentium, quaeso, nobis date et benevolas aures praebete: sic vos audire, actores vero agere feliciter poterunt.

## Actus primus

### Scena prima

<Clytemnestra>

*Sola tristis.*

Clyt. Quid cessas segnis? quid in tutis rebus fluctuaris? cur bene cogitata non insigni aliquo facinore concludis? diutius, quam decet, castitati te abdidisti; pietati, fidei coniugali, publicae honestati sat datum: aetati, sexui, amoribus, voluptati aliquid concedendum; aetatis tuae florem cogita et aevi huius fluxum. at non timide, sed audacter res aggredienda: fraudibus utere, exempla aliarum foeminarum sequere. quae non solum furtivo amore suos eluserunt vel ut soror Helena cum amatoribus aufugerunt. haec ad animum revoca et simile vel etiam praeclarius aliquod facinus admitte.

### Scena secunda

Nutrix, Clytemnestra

Nut. Quid adeo tristis sedet Graecorum Regina? quid animo languet? quae mala excruciant te pulcherrimam? quibus curis aut molestiis exuritur corculum tuum? subesse aliquid, silentium et pallor indicant. pelle tristitiam, exsuscita te ipsam et redi ad priorem hilaritatem. erige te, et ut palma attollat se animus contra novum hoc pondus. si non aliter, tempori, quod omnia lenit, permitte.

Clyt. Morbus meus nullam admittit moram: amor namque totam me consumit, metus vero auget malum; amor ad voluptatis hortos me ducit, pudor et coniugalis amor ad honestatis templum me vocant. varia consilia mecum agito, sed quo me vertam, non habeo. fortunae me dabo; quo me illa ducet, sequar. ubi enim animus errat, optimum est casum sequi.

Nut. Incertus et dubius est fortunae cursus. nihil propere suscipe, ne non ascensum, sed ruinam tibi struas. ne nimis cupide cupe, quod cupis. mali ominis nimia saepe properatio.

Clyt. In morte certissima quid timendum?

Nut. Eiice ex animo omnem tristitiam. si quid enim factum, silentio tegendum.

- Clyt. De meo delicto homines celare non possum. hoc primum habet mea fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur, quia non modo domum, sed cubicula ipsa intimosque secessus recludit omniaque arcana noscenda fama proponit atque explicat. quare minora flagitia maioribus obscuranda.
- Nut. Non placet consilium; malis enim mala qui addit, auget infortunium.
- Clyt. Ferrum et ignis certissima malorum remedia.
- Nut. Non inverso tamen ordine quicquam agendum.
- Clyt. Vt in morbis acutis generosa quaerenda remedia, sic in rebus malis preceps via capienda est.
- Nut. Regia dignitas et coniugii sanctitas aliud te docent. quare remitte affectum et in rationis partem incipe propendere.
- Clyt. Integros decem annos castitatem colui, sola sine coniuge vixi; ipse vero in bello peregre abest, concubinas habet plurimas et, Priami factus gener, adducit captam secum, quam spreta coniuge amat. cur ergo fidem ipsi debeo? Orestesne filius timendus? neutiquam. filio cum patre vitam aufer: sic amoribus tuis locus erit, sic regni sceptrum ad te devolventur.
- Nut. Frange iram, resiste cupiditatibus, rationi et consilio locum da: excipe victorem cum gaudio et decenti suavitate.
- Clyt. Discede, ut sola rationes inire, quid in re tam dubia faciendum sit, queam.

*Nutrix abit.*

### Scena tertia

<Aegystus, Clytemnestra>

*Aegystus secum loquitur.*

- Aegys. Iam tandem in meum caput, quod semper timui, redundat malum. sed cur gladium abiicio? oppone humeros periculis et fortiter perfer, quae effugere non licet.
- Clyt. Qui ita moritur, dignum factis praemium accipit.
- Aegys. O mea Venus, o delictum et periculi socia suavissima, armatus adsum, tecum ut vivam aut moriar: Agamemnon hodie nostra succumbet manu. sed quid palles? cur te adeo excrucias? non respondes? fluctuatio illa et timor abiicienda sunt.
- Clyt. Extinctus mihi amoris ille ardor a sedatae rationis quodam imbre, honestus et coniugalis a proposito pessimo me avocat. peccavimus ambo, sed meliorem adepti mentem honestius posthac vitam insti-

tuemus et in viam officii et castitatis ibimus, a qua exorbitavimus uterque nimium diu. labi quidem malum, sed a lapsu non surgere peius. vacillavimus, imo cecidimus graviter; surgamus et cita celeritate corrigamus, quod temporis ereptum lapsu. castitate ergo nova mentis corporisque impuritatem expiabimus.

Aegys. Qua vertigine acta tam subito absque ratione alia consilia tecum agitas? sperasne te quietum habituram coniugium? si nihil aliud subesset, fortuna secunda et victoria insignis insolentiores reddunt Reges, spiritus addunt et elatos animos. qui ergo mitis discessit, tyrannus adveniet; mansuetudinem eius magna fortuna in superbiam mutabit. nam rebus secundis etiam egregii duces insolescunt. praeterea captam adducit virginem, quam ut cor suum amat. ut lumen maius obfuscat minus, sic pristinum tuum amorem tanquam subitus imber extinxit novus. hanc licet tu tolerare posses, tamen ipsa te non. nam ut regnum non fert duos Reges, ita coniugium non duos amores.

Clyt. Quid agis, Aegyste, e cineribus novum excitans ignem? summo iure cum Rege meo contendere non possum, praesertim cum eodem crimine rea sim.

Aegys. Si unum delictum alterum elueret, vera sentires; sed longe falleris. Regis ius nondum novisti: in alios sunt severi iudices, sed quicquid ipsi delinquant, regia potentia et libertate tegunt; et quod in aliis reprehendunt, vel maxime sibi licere putant. indigna digna habenda sunt, Rex quod facit. vetus enim est, tyranno servire subditos, ipsum tyrannum suis libidinibus et voluptatibus. habet hoc semper nova fortuna, ut ad superbam licentiam facile deflectat.

Clyt. Menelaus Helenam tam ardenter amat, ac si nunquam castitatis limites transiliisset.

Aegys. Alius est Agamemnon; et novis amoribus aestuans plane a te alienior factus: quaeret occasionem quocumque modo te e medio tollendi. et licet tu nihil peccasses, si omnem tuum amorem spreveris et animum ad aliam adieceris: quid proderit tibi castitas et pudicitia? aut moriendum tibi erit aut in exilium eundum aut summa cum infamia vita transigenda. fallax spes timorem tibi minuit, hoc tam certum quam certissimum.

Clyt. Donis et mellitis verbis novum amorem mihi emam.

Aegys. Sed Graecae voluptates hunc tanquam violentus ventus aeris tranquillitatem facile turbabunt.

Clyt. Ad honestatis castra ibo, pessimis tuis relictis consiliis. regia dignitate neglecta cum adultero extra regnum non vivam: quare in malam abi crucem.

Aegys. Estne haec fides data? itane respondes magnis meis amoribus? sed nihil novi patior: haec est mulierum inconstantia, quae una die saepius quam fugax aprilis inconstantia commovetur. sed ut intelligas me non solum domum hanc et amores tuos infelices relinquere vel-

le, in gladium proprium incumbens, malorum et amorum finem faciam. quare vale, vale o inconstantissima foemina.

*Vult gladio incumbere, Clytemnestra occurrit et eripit gladium.*

Clyt. Ah, nimium tam ferum, crudelem et inhumanum non gerit Clytemnestra, ut in sua praesentia tale aliquid fieri permittat. quare reconde gladium et secede parum. inquiram enim diligenter, num quid, quod nobis commodum sit, excogitare valeam; quo invento vocabo te et communicabo consilia. secede; nuncium enim accurrentem video.

### Scena quarta

Clytemnestra, Eurybates nuncius

Eury. Sacra Diis offer, o Regina: Rex enim ex difficili itinere et diuturno bello spoliis amplis et victoria insigni ornatus redit. sed mihi tam laeta nuncianti honorarium largire.

Clyt. Tota laetitia exulto, triumpho et gaudeo. ubi autem Rex meus haeret? e navibus in terramne descendit?

Eury. Per terram iter facit Rex laudatissimus et paucas post horas patrios salutabit lares.

Clyt. Cor meum salit gaudio, huncque diem laeta peragam, quoniam Dii tristiciam diuturnam in insperatam verterunt laeticiam. sed vivitne adhuc frater Regis et soror mea Helena?

Eury. Spero, certus tamen non sum; ventorum enim furor classem nostram ita disiecit, ut non simul omnes naves portum ingressae sint, et Rex graviora mala perpessus in mari quam in bello, non procul abfuit a naufragio.

Clyt. Iube, ut omnes subditi quam celerrime se ornent et Regi obviam eant.

## Scena quinta

<Clytemnestra, Aegystus>

*Eurybates abit. Clytemnestra Aegistum vocat.*

Clyt. Adsis, Aegyste. quid nunc faciendum, quo diutius amore nostro frui liceat, nec in vitae periculum veniamus certissimum?

Aegys. A primo nostro instituto non recedo, tibi volo semperque volam, si voles ipsa. sed animus praesagit aliquid mali: cordis dolor frigidum sudorem exprimit, omnes corporis vires debilitatae sunt. heu heu, quis strepitus? quis sonitus horrendus subito surgit? tota regia tremat, et, nisi me visus decipit, spiritus infernales video: parentis umbra nos accedit. ah, quo me vertam? quo fugiam?

## Scena sexta

Vmbra, Clytemnestra, Aegystus

Vmb. E tartaro pessima vestra vita ascendere me coegit, o sceleratissimi. sed dirum et triste carmen vobis canam: omnis pietas, virtus et concordia domo hac excedent; arma, odia, ira, caedes subibunt, caedum non erit finis: foemina maritum interficiet, filius matrem; adulterium pro nullo habebitur vitio. quare, fili Aegyste, quo in regno hoc pedem figere possis, in advenientem Regem manus iniice. probe, recte perge. gladios strictos video; non longe abest strages. ha ha he, quia iacet fortissimus heros, iam rursus ad Plutonium descendam.

*Vmbra descendit.*

Aegys. E forti stupidum me reddidisti, pater, et omnia perturbasti cogitata mea. brevi mutatio aliqua insignis expectanda.

Clyt. Non reiiciendum, quod Dii offerunt imperium. nemo sapiens alteri imperium volens concedit omnium dulcissimum accipere. sed quia tempus consiliis agitandis non datur, sedulo et mature reddendum est effectum; nobis enim mutatio non impendet, sed iam adest.

Aegys. Adsit pulchra Venus, nostri amoris prima auctrix, et, ut diu in illo vivere queamus, iuuet nos. ego paratus sum extrema tentare; hac data manu sancte promitto. hic ergo subsistam, donec Rex dimiserit omnem comitatum; tu postea iniice manus, non deero tibi. sed calide et callide res gerenda.



Clyt. Videbo, quid faciendum sit. sile, discede parum in locum obscurum.

## Scena septima

<Agamemnon, Cassandra,> Clytemnestra, Aegystus

*Agamemnon dimittit milites, sola retenta Cassandra.*

Agam. Quod felix et faustum sit, iam tandem ingredior aulam diu a me non visam. vici Phrygos, everti Troiam, victor tamen multa gravia in mari perpressus sum. salvete, lares paterni, et date, ut laetus hunc diem transigam.

Cass. Et Troia vino somnoque sepulta periit.

Agam. Ad sacra me converto.

Cass. Et pater meus ad aras trucidatus est.

Agam. Ilium te videre putas.

Cass. Etiam Priamum. nam ubi Helena mulierum pessima, Ilium mihi ob oculos versatur.

Agam. Sine cura sis, ne metue Dominam.

Cass. Tu autem Rex minime.

Agam. Victori quid timendum?

Cass. Periculum maximum tibi instat, ubi nullum times.

Agam. In aulam pergam, ut salutem regni sociam. vos recedite singuli et officia procurate diligenter. tu, Cassandra, mecum Reginam accedito. salve, suavissima.

## Scena octava

<Agamemnon, Cassandra, Clytemnestra, Aegystus>

*Clytemnestra lachrymatur.*

Clyt. Adventus tuus, o Rex, est mihi gratissimus. sed qui fieri a te potuit, ut tam multos annos reliqueris uxorem viduam?

Agam. Bellum anceps et dubium fuit; decimo namque anno expugnnavimus Troiam. deinde variam fortunam in mari perpressi sumus; quare etiam milites plurimos amisimus.

Clyt. Haec omnia non sine summo percepi dolore; Diis tamen gratia, qui te incolumem et salvum nobis restituerunt. sed rogo, mi Rex, exue hostis spolia et peregrinas vestes; et indue, quas meis paravi manibus. non decet Regem in patria peregrinus habitus.

*Dum Agamemnon deponit vestem, confoditur, qui horrende clamat.*

Agam. Ah me infelicissimum et miserrimum: qui tot fortium virorum manus evaserim et insanos maris fluctus effugerim, iam ab adultero et scorto misere trucidor. o saeva numina, o grave fatum, o liberi dulcissimi, eripite patrem.

### Scena nona

Electra, Orestes; <Aegystus, Clytemnestra>

*Electra cum Oreste accurrunt.*

Elect. Latrones fuge, stirpis tuae extreme; hic non diu subsistendum: similis enim mors te expectat. quoniam pater iam mortuus, minime auxilio esse possumus.

Aegys. Ultimum egit spiritum. iam filius quaerendus, ne parentis existat ultor necis.

Clyt. Noli properare. prius certiores esse debemus de huius morte; propterea ad cor vulnus addam. iam proximus erit filius.

### Scena decima

Electra, Cassandra, Aegystus, Clytemnestra

*Currunt in aulam, Electra fugit ad Cassandram; adveniunt Aegystus et Clytemnestra.*

Clyt. Vbi frater tuus, pessima? et quid nobis insciis extra domum obambulas?

Elect. Adulterium et manus vestrae cruentae me domo extrudunt.

Clyt. Quid loqueris, sceleratissima? itane decet filiam contra matrem insurgere?

Elect. Quia manus iniicis in patrem meum, blandicella nimis verba dare non possum.

Clyt. Te forsitan nobis parem iudicas?

- Elect. Quis ergo tecum regnum obtinet? quod dices nobis? ubi Rex tuus, quem tuis interfecisti manibus?
- Clyt. Fratrem volo; redde mihi filium. ubi est? heus, redde.
- Elect. Abiit, evasit, aufugit. peregrinus abduxit eum. hoc enim futurum praevidi. quare ad fugam officia praestiti, quae potui.
- Clyt. Redde mihi filium.
- Elect. Et tu mihi patrem.
- Clyt. Vbi latitat? scire volo.
- Elect. In satis tuto loco. non metuit novam tyrannidem. paucos intra dies in Phocydem veniet. nam ex illa parte hospes quidam adfuit, qui parenti meo ob victoriam ex Phrygia reportatam gratulationem facere voluit. sed postquam audivit ipsum tam scelerate interfectum, pedem retulit et Orestem secum abduxit.
- Clyt. Illius ergo loco tu hodie morieris.
- Elect. Vtinam cito tua ipsius manu et illo gladio, quo pater occubuit. et ne errare possis, en, gladio collum vel, si mavis, pulchram hanc et candidam cervicem praebeo, ut meo sanguine abluas manus cruentas.
- Clyt. Aegyste, qui placet tibi haec furibundae virginis vox nefanda? num ferendam putas, tam impie et acerbe de nobis loquentem, cum demissam et submissam esse oportebat?
- Aegys. Hunc ferocem animum haud aliter quam mortis supplicio domare possumus aut durissimo carcere; siti, fame, tenebris, aqua et pane macerandus est, ut inde submissior factus ad praescripta obedientior fiat. ut enim generosas feras cavea domat ac frangit, sic altas mentes angustus et tenebricosus carcer. adhibenda est regni causa severitas, sine qua administrari regnum nullum potest. scimus digitum praecidi oportere, si ob eam rem gangrena non sit ad brachium ventura.
- Elect. Et ut fera avis aperta cavea non eiicitur, sed evolat, sic ego libens ex hac impura domo in apertum illum purumque campum. nihil est, quod in vita me teneat aut iuвет. quid enim haec vita? ludibriorum scaena, miseriarum mare. melius est semel mori quam continenter affligi. sed vos de capite meo ludere potestis, statuere tantum supremus ille princeps.
- Clyt. Graviorem excogitavi poenam. is tyrannus non est, qui vindictam a morte incipit.
- Elect. Estne morte gravius supplicii genus?
- Clyt. Vita, si cupis mori. ministri, abducite scelus, in carcerem turpissimum iniicite nec quicquam cibi, quam qui canibus nostris destinatus est, porrigite. hanc autem peregrinam coniugis mei concubinam pessimam luce communi private, ut amasium suum ad inferos sequatur.
- Cass. Parcite, ne trahite regiam filiam sponte euntem. praecedam gradus vestros; mortem enim non fugio. nam Graecis meis laetum afferam nuncium: classem Graecorum vi tempestatis et fluctuum esse dis-

iectam, plurimas ex illis navibus periisse; Mycenae esse proditas et ab alienis captas, Agamemnonem ab impura coniuge et adultero interfectum. ite, iam pergo et ad mortem propero: quia enim Troia periit, et totus Phrygium exercitus fusus, nihil restat, quod ad diutius vivendum me invitare posset.

Clyt. Descende ergo malo omine ad tuos.

Cass. Haec lex universi nasci, surgere, languere, mori; et velut lampadem hanc vitae alii aliis tradimus. sed iratum numen divinum mox factum durum vobis immittet. DEVS enim, qui omnis impuritatis hostis est, adulteros interficiet. cui omnem vindictam commisi, qui me eripiet aevo pessimo et constituet in felici illa sede. vos quoque - en, aliquid vaticinabor - brevi ibitis, sed ad Deam Atram, quia nulla quaesita scelere potentia diuturna est, et invisa imperia nemo retinuit diu.

Aegys. Festum hunc atque solemnem diem laeti celebrabimus; regnum enim quietum obtinemus et tuto amoribus indulgere possumus. intro ibimus ad officia distribuenda. non enim est, qui nobis aliquid praescribat.

## **Actus secundus**

### **Scena prima**

Orestes, Pylades, Paedagogus

Paed. Hic Mycenae aspicias, Orestes, ex quibus te, interfecto patre, ereptum abduxi, ut paternae caedis ultor hostiumque tuorum vindex aliquando existeres. iam quia periculum est in mora, ocyus delibera, qua ratione finem propositum assequi possis. sed nulla interposita mora properandum; nunquam enim progredietur, qui timide nimis explorat omnia.

Orest. Nunc demum agnosco fidelitatem tuam, o vitae meae conservator. postquam oraculum de vindicanda patris morte consului, respondit sine apparatu bellico id fieri posse, non tamen sine fraude. quare ingredi tu aedes et observa omnia diligenter: num et ubi adsint adulteri, quot et quos ministros habeant. quia enim ignotus es, nemo te suspectum de prodicione habebit. dic a Phanoteo te missum, ut mortem Orestis annunciares. ego interim ad sepulchrum paternum libaminibus et secta coma sacra faciam; reversus ipsos quoque conveniam et, quomodo omnia acciderint, ficta oratione exponam. quo minus autem de mea morte dubitent, urnam cineribus plenam afferam, ut in patrio solo honorifice tanquam regium filium humare possint. honestam et laudabilem calliditatem nemo nobis fraudi tribuet. decipere enim pro moribus temporum prudentia est. multi vivi mortuos se simularunt. o dulcissima terra, o chara patria, o DI penates, felicem, quaeso, successum date, ut aulam miseram ab impuritate expiare liceat et regnum meum avitum possidere. sed sat dixi: ad sacra properabimus, tu interim mandata exequere. in celeritate enim omnia sita.

### **Scena secunda**

Electra, Paedagogus, Orestes, Pylades

Elect. Ah me miseram.

Paed. Vnde tantus clamor? et quae eius causa?

Orest. Electra est, deplorans miseras suas. consistite parum: audiamus, quid dictura sit.

Paed. Noli! a sacris principium fiat: sic feliciora omnia.

Pylad. Placet consilium: si enim Deum benevolum habebimus, nihil sinistri timendum. cuncta enim prospera eveniunt colentibus Deum, adversa spernentibus.

*Abeunt. Electra pergīt in querelis.*

Elect. O coelum, o terra, inspice, quibus premo, calamitates. carcere vix liberatam gravioribus malis me urgeri videbitis. quoties enim aulam hanc aspicio, patris recurrit memoria; nocturno tempore somnum non video et in lachrymas tota resolvor. o Pluto, quando scelerata facinora iustis praemiis exaequabis? si possibile esset lachrymis aliquem e mortuis revocare, patrem resuscitarem meum. sed o frustra susceptae cogitationes, o inanes labores. qui enim semel a vita exit, nunquam revertitur. quare infelicem hanc animam libera aliquando, o mors, ut rursus cum patre iungar. sed gravem oportet subesse causam, quod Orestes, fidem liberans, non exolvit promissa. patrisne, sororum, regni et omnium beneficiorum memoriam deposuisti, o frater? praesenti morti te eripui meo cum periculo; nam una cum patre tuo interficiendus fuisses. o misera dies, in qua charissimus pater occubuit; o infelix terra, quae sanguinem absorbsisti; semper vero infelicior manus, quae infidelitatem in te exercuit. tu non solum operum, consiliorum et mentium inspector, sed iudex et vindex, repende mala et pessima quaeque retribue malis. vel fac mearum aerumnarum finem et rumpe telam miseriarum. quomodo enim locum aspiciam, qui paternae caedis vestigia refert? mallet longe peregre abesse. ut enim ii, qui amore laborant, fugiunt et peregrinatione excutiunt affectum, ita loca vitanda sunt, quae memoriam aut desiderium rei alicuius charae amissae excitant. nam exigua saepe punctura cicatricem rumpit iam coeuntem. et quod durius est, matri iniquissimae parere cogor et adulteri ferre imperium, qui omnibus modis mihi aegre facere studet. patrem cogor nominare, qui patri interitum attulit; ornat se sceptro et corona regia, accingit gladium paternum, utitur regali vestitu, cubat non sine pudore cum matre, si modo matrem vocare convenit. haec omnia flocci facit insana foemina, insolenter dominatur. ego vero tristis incedo, pudore suffundor, lachrymari nunquam desino, crines evello; et vix mihi hoc conceditur. nam cum impia animadverterit mater, non verba, sed vim et manus adfert: ne patris mentionem amplius faciam, praecipit, carcerem minatur. sin autem Orestis mentio inciderit vel minima, tota furibunda clamat: me, quod aufugerit, causam esse; me, ut salvus vivat, pessimo procurasse consilio; hoc meum factum ad deterrendos alios graviter puniendum vociferatur. spem mihi fecit frater, clam se venturum et poenas de homicidis sumturum; propterea saepe ad eum transvolo cogitationum et desiderii levi ala. sed ut frustra diu expectavi adventum eius, ita inani-bus cogitationibus me macero. sed quia res non facilis, sed opero-

sa, in qua maximi sustinendi labores, occasionem fortasse, quae est rei alicuius idonea faciendi oportunitas, captabit commodam.

### Scena tertia

Chrysothemis, Electra

- Chry. Quid foris ita clamas, o soror? quid agis? non aliquando sapere disces? excrucior et ego valde curisque consumor; et si tuto possem, libenter vindicarem iniurias, et hodie quidem. sed quid faciam misella? tempori cedendum, et veritas silentio premenda, ne iniustos parentes magis irriter. ut enim eadem purpura homines delectat et ad gaudium provocat, tauros vero offendit et irritat ad pugnam, sic eadem veritas intelligentes capit, laedit improbos et virtutis hostes.
- Elect. Haec tua animi infirmitas cruciatus mentis meae adauget. sed quaero ex te: decetne filiam honestam patrem negligere et homicidium silentio approbare? non patris mei, sed matris honestae filia es; a qua ita edocta tam turpia loqueris. sed sic favorem tibi concilias, vestitu eleganti incedis et in mensa illis assides. si autem pater, ut decet, cordi tibi esset, haec omnia tanquam vana non curares.
- Chry. Optime tibi cupio, o soror. si infortunium tuum praevideres, longe aliter sermones tuos institueres et a longis illis tuis luctibus recederes. querelae enim etsi levent fortasse dolorem, non tamen restituunt amissa.
- Elect. Quis, ne, iustum quod est, dicam aut faciam, vitabit? forsitan sceleratissimus ille omnium Aegystus? qui totam nostram familiam eversam cupit. quare dic cuncta, quae ex me audivisti. nihil curo mali hominis iram aut minas.
- Chry. Clamores inhibe; dicam, quae audiverim: nisi temperaveris tibi a convitiis, pessimae custodiae te dabunt, ubi sine coeli lumine vitae tuae tempus consumes. quare cave tibi, amice moneo. si sequeris bene monita, non poenitebit te; sin tuis affectibus indulgebis, quam primum Aegystus domum redierit, audies duram sententiam. quare pone luctus; ferenda ista, o soror, donec aliter visum magno illi et benigno DEO.
- Elect. Vtinam hodie fieret! non possum diutius inter tam pravos vivere homines, in quos mox graviter animadvertet iustus rerum iudex. quo citius ego ad patrem meum veniam, hanc vitam cum morte commutare non defugio. interim mortuum grata memoria prosequar. nam quanquam ille in vita alia, tamen in animo meo vivit et vivet, quam diu dabitur spirare et solis lucem aspicere.

- Chry. Hoc scire te velim, o soror, patrem nostrum prudentissimum non probare tuum consilium. sed quoniam non admittis bene monita, eo, ut, quae iussa sum, efficiam.
- Elect. Quo vadis autem et quorsum haec defers?
- Chry. Mater has mittit inferias ad tumulum patris effundendas. per somnium enim perturbata haec facit.
- Elect. O DI, iram in adulteros exercete. audi tu, noli matris iussa ut impia exequi. somnium autem recita, quaeso.
- Chry. Apparuit pater in somnis et, postquam allocutus est eam, sceptrum terrae infixit, quod statim ramos et folia produxit, totam aream inumbravit. haec ex ipsa audivi, cum somnium soli narraret. quare ad placandum patrem cum hisce mortuorum sacris me misit.
- Elect. Mirari satis nequeo novam hanc pietatem. sed ne facias, per omnes DEOS DEASque te oro, ne et tibi aliquid mali inde accrescat. novisti enim legem: impius ne audeto placare donis iram DEORVM. patri vero quomodo grata erunt iusta feralia ab illa, per quam morte affectus est, transmissa? quapropter vel depone vel in effossam terram effunde; recipe potius meos tuosque sectos capillos et hoc meum cingulum, et precibus roga ipsum, ut nos contra impios homines defendat vel mittat Orestem, qui aequali lance rependat percussoribus mala. praestantioribus tunc donis exornabimus eius sepulchrum, si laetior aura nobis affulserit.
- Chry. Morem tibi geram; iusta enim et aequa petis. matrem, ni fallor, audio: abeundum.

### Scena quarta

Clytemnestra, Electra

- Clyt. Quid otiaris foris? nihil intus est, quod agas? Aegysto absente te domi continere non possum; multo minus etiam gravibus cominationibus absterrere, ne famam meam apud bonos et externos laederes. patrem quod interfecerim tuum, iustas causas habui: nam Iphigeniam filiam mihi charissimam pro salute Graecorum sacrificio obtulit Diis. si quid ergo in ipsum peccavi atrocius, occasionem mihi praebuit haud levem.
- Elect. Quoniam propria facinora et quidem deterrima fateri non erubescis, quo nomine te appellem, valde dubito. sed Aegystus haec tibi administravit, quo tutius, licet non sine magna turpitudine, corpus cum ipso miscere posses, quem vivo adhuc patre amatorem habuisti. pater autem meus coactus oraculo et vatum monitis filiam ad sacrificium dedit, ut placaret Dianae iram, cui cervum casu interfe-



cerat. ut ergo exercitus feliciter exire posset, non volens aut sponte, sed coactus fecit. si ergo tibi iustum fuit, felicem Regem, victorem magnum, maritum bonum interficere, non iniuste fecerit, qui iuxta iuris rigorem tecum agat eadem ratione.

Clyt. Filiam, quae tam pessime de matre locuta sit, nunquam fuisse aut esse posse credo. ubi pudor? ubi reverentia? ubi pietas tua?

Elect. Peccare me fateor, sed tyrannis tua summa et crudelis animus has mihi exprimit voces. vulgo enim dicitur: factis respondet encomium.

Clyt. Quam primum advenerit Aegystus, dabis mihi poenas nec maledices mihi amplius. iam sile, ut vota facere liceat.

*Genibus nixis precatur.*

## Scena quinta

Paedagogus, Electra, Clytemnestra

Paed. Quis mihi indicabit aulam Aegysti?

Elect. Haec praesens est; et nos ea sumus.

Paed. Casu ergo in Reginam incidi.

Elect. Ita. sed quid boni adfers?

Paed. Laeta nuncio ideoque regium donum expecto.

Clyt. A quo venis missus?

Paed. Phanoteus Phocensis me misit propter tristem filii Orestis mortem.

Elect. Orestesne obiit? abiit non visurus amplius, non videndus. proh Iupiter, iam omnem perdidisti libertatem. o clare sol, occidisti et me in caligine ita reliquisti et in nimbis domesticorum malorum.

Clyt. Istam ne audias, sed omissa ad me dirige sermones.

Paed. A nobis abiit ad beata illa loca, idque praecipiti quodam fato.

Elect. O me adflictam et consilii et auxilii egentem. nihil mihi ad dolorem acerbius accidere poterat quam mors Orestis.

Clyt. Abi aut sile. propius tu accede et refer, quomodo mortuus sit.

Paed. Quantum mihi notum est, referam. Delphos profectus est ad illa celeberrima certamina, inde ut reportaret victorias; maximo enim impetu ad laudem propendebat. eo cum venisset, ita sustinuit, quam sumsit personam, ut meritus sit non unam palmam. primum enim caestuum pugna facile princeps fuit; cursus celeritate vicit omnes, ut et in saltu, luctu et lapidis iactu. sed quia nimium sibi sumebat, tragicum exitum habuit. plerumque enim maximis gaudiis extrema infortunia adiuncta haerent. altero namque die, etiam e curruli certamine lauream reportare volens, comparuit cum reliquis loco et

tempore constitutis et maximo applausu non procul a meta abfuit: ecce, axis rota ex uno latere frangitur, ipse maximo impetu e curru effunditur et caput tanta vi terrae allidit, ut directionem equorum amplius administrare impossibile fuerit. equi rectore destituti hinc inde discurrunt et ita miserum Orestem trahendo per terram interficiunt. omnes spectatores dolebant vicem eius, et publico sumptu combustus est; cineres autem et urnam deferunt secum duo Phocenses, ut in patria regio splendore sepeliatur.

Elect. Tecum ergo familia et nomen Agamemnonis extincta sunt, o Orestes. ah mi frater, utinam morte consumpta tecum iacerem!

Clyt. Laetor et tristor uno nuncio.

Paed. Non optatum ergo nuncium accipis.

Clyt. Dolet, quia, licet inobediens fuerit, tamen ex me natus fuit; quare cor tangit.

Paed. Frustra ergo venimus?

Clyt. Non, si modo vera, quae nuncias. Orestes enim, quem ex Agamemnone conceptum peperit et lactavi meis uberibus, relicta tandem patria domo aufugiens, cum peregrinis vixit nec interim a me visus unquam, pessima tamen semper de me sparsit in vulgus, imo minatus est mihi mortem, patris mortem vindicaturus. quare tam die quam noctu mihi obversatur, aufert quietem et somnum; singulis enim momentis vereor, ut adveniat meque e medio tollat. iam extra omnem metum sum: iam silent convitia, iam quietam vivere possum. quare et triste et laetum attulisti nuncium.

Elect. O vere mihi triste nuncium; nunc tempus plorandi.

Clyt. Veni mecum in aulam: ibi reliqua, sine huius interlocutione, poteris pertexere.

*Abeunt. Electra sola.*

Elect. Ah Orestes, ubi relinquis sorores tuas? omnis liberationis spes, quam in tuo adventu collocavimus, in fumum abit; vindictam per te speravimus, sed frustra. iam miserrimae sumus, patrem et fratrem nostros defensores amisimus; homicidis inservire cogimur. tu, Erynnis, mentem illorum incende, ut me quoque tollant; gratiam tibi et illis habebis. tanta enim aerumnarum moles, vitam mihi acerbam reddit. sed ubi inveniam sororem, ut miserum nostrum nuncium statum?

*Abit.*

## Actus tertius

### Scena prima

Chrysothemis

*A sepulchro rediens.*

Chry. Vtinam occurreret soror! facerem continuo meae voluptatis participem, siquidem quietem ex me auditura est. sed ni fallor, ipsam video. o soror, erige te, suscipe animum, mitte curas, pone suspiria et luctum.

### Scena secunda

Electra, Chrysothemis

Elect. Insanisne, quam spem curationis aut remedii nostro malo ostendis?  
Chry. Frater adest, ubicunque sit.  
Elect. Caeca aut mente capta es: mortuus est, qui nos exhilarare potuisset.  
Chry. Nihil dicis, metus tuus hoc fingit; vivit, nihil certius.  
Elect. Quae habes indicia vel ex quo audivisti?  
Chry. Proprios oculos testes adfero, qui me non fallunt.  
Elect. Quid ergo vidisti?  
Chry. Ad patris monumentum veniens, reperi effusum lac et varios omnis coloris flores. circumspicio, an forsitan quis adesset; neminem animadverto. accedo propius, ibi comam noviter detonsam reperi. inde conicio Orestem adfuisse. nos enim non fecimus: non enim datur nobis tantum temporis, nec mater nobis ignorantibus facere potuit. quare animum recipe, laetior fortuna adspirabit. hic dies plurimorum bonorum initium erit. ego tota non voluptate solum perfusa sum, sed et gaudio.  
Elect. Vertigine te laborare puto; loqueris enim absurda. non enim ratio, sed opinio vana haec tibi ingerit.  
Chry. Non optata loquor?  
Elect. Heu maximam dementiam! vana spe te lactas, o soror: mortuus est Orestes, non revertitur amplius ad nos, sed nobis descendendum ad ipsum. adest nuncius ex Phocide, ob hoc triste nuncium huc missus. mater voluptate et laetitia nimia gestit, ut, quid loquatur, vix sciat; in aulam peregrinum abduxit. iam omnes, qui nobis praesidio

esse poterant, amisimus. quo clypeo tectae declinabimus infortunium?

Chry. Quis ergo inferias fecisset?

Elect. Amicus patris aut Orestis.

Chry. Nullus ergo malorum finis, omnis Deorum clementia a nobis aver-  
sa est.

Elect. Si meis monitis morem gesseris et tuam cum mea coniuxeris volun-  
tatem auxiliariesque porrexeris manus, liberationis occasio prompta  
erit.

Chry. Visne, ut mortis leges refigam mortuosque in vitam revocem?

Elect. Non ita insanio, ut ea, quae fieri non possint, optem; nec si possem,  
vellem revocare ad humum et miserias humanas.

Chry. Quomodo ergo salutem quaerendam putas?

Elect. Labor improbus, ut nosti, omnia vincit. si vis mihi adesse, quoniam  
amicos fidos habemus nullos, in nostris manibus res sita est. frater  
si vixisset, absque dubio, quomodo se et nos in libertatem vindi-  
casset, omnes intendisset nervos. hoc autem defuncto, in cinere et  
lachrymis tota nostra vita transigenda est, nostro ordini convenien-  
tes sponsos nunquam habebimus. timent enim adulteri, ne ex nobis  
nascatur fortis aliquis heros, qui regni sceptrum iusto bello extorque-  
ret. si Orestes viveret, certo nobis autor esset, ut magno aliquo fa-  
cinore ad libertatis portum enavigare studeremus. tunc ad honestas  
nuptias adspirare licebit, et honor noster crescet; facinus hoc no-  
strum tota decantabit civitas. et solemnis haec actio non finibus lo-  
corum nostrorum aut temporum continebitur, sed in orbis spatia et  
aevi totius ibit. quas videtis sorores, DEO sic iubente mortem patris  
ultae, adulteros et homicidas forti manu interfecere, iniustos regni  
possessores loco dimoverunt et illustrem nobilemque familiam a  
sceleratis hominibus expurgarunt. haec erit nostrarum laudum ple-  
na cantatio. quare iuva me, cum ut gratum facias parenti et fratri,  
tum ut pro libertate retinenda, qua nihil dulcius, pugnes mecum.

Chry. Ah, quid cogitas aut quo respicis? qua - non dicam - fortitudine,  
sed audacia nos virgines tantis hostibus nos opponemus? quoniam  
superi illos ad tanti honoris et dignitatis fastigium evexerunt nos-  
que subiectas illis esse voluerunt, ferenda est fortuna, donec DEVS  
aliquis hostes a cervicibus nostris repellat. interim patiamur, quae  
non mutamus. Aegystum nos nisi summa calliditate evertere non  
possumus; victis igitur nobis duplicabitur calamitas. quare, ante-  
quam incipias, de fine cogita. nisi enim velimus simul mori et to-  
tam nostram familiam extinguere, oportet nos fortunae et tempori  
cedere. quare disce DEO parere; optimum enim est pati, quod  
emendare non possis, et DEVM, quo autore cuncta eveniunt, sine  
murmure comitari. malus miles est, qui imperatorem suum gemens  
sequitur. quid me aut te iuvat periculis et molestiis frustra exponi?  
quamdiu aequor hoc vitae navigamus, tam diu fluctus; et interdum

serenum aliquod, si blanditur, decipit, et fere tempestas maior succedit.

Elect. Praevide in contrariam sententiam te ituram. ut enim e linea artifex cognoscitur, ita e moribus tuis animus mihi iam diu innotuit tuus. sola ergo gloriam reportabo vel honeste moriar.

Chry. Festina lente: nam non raro subitae festinationis comes poenitentia, malaque consilia malum exitum sortiuntur. quare caute age, ne posteriora tibi graviora accidant; consilia enim calida et audacia prima specie laeta sunt, tractu dura, eventu tristia.

Elect. Ito, omnia mea consilia communicato, nihil curo.

Chry. Nunquam factura sum. optarem tamen, ut a proposito resilires.

Elect. Iacta est alea: pergam. decretum hoc neque heri aut nuper natum, sed olim iam feci. mihi firmum plus mentem quam manus valere. nihil tam firmum est, cui periculum non fit etiam ab invalido. leo ipse aliquando minimarum avium pabulum fit, et ferrum rubigo consumit. rem magnam conficiam, invidendam celerius quam imitandam.

Chry. Si autem non successerit, quae calamitas te circumdabit? nullusque finis malorum erit. ego patienter feram, quae emendare non possum.

Elect. Dolores mihi creant sermones tui nec a proposito me avocant. minae enim, quae mihi opponuntur, modice me tangunt.

Chry. Abeo ergo, et tu bene vale. ego dominium a Diis cervicibus meis impositum feram. quis nostrum iter praecludet publicis fati? habent ista transitus suos, imo interitus; quorum tempora cum venerint, nulla vis aut consilium ea firmat. cave tibi a temeritate, quae, praeterquam quod stulta est, ut plurimum etiam infelix. nam ubi primum impetum effudit, sicut quaedam animalia, amisso aculeo torpet.

### Scena tertia

Orestes, Pylades, Electra, <Chrysothemis>

Orest. Vbi ad Aegysti aedes proxima via?

Elect. Hae sunt aedes. quid adfertis, optimi?

Orest. Introeat una et dicat, Phocenses hic adesse, qui nunciaturi sunt arcanum iocundum.

*Chrysothemis ingreditur, Electra quaerit.*

Elect. Dicite mihi, o hospites: adsuntne certa de Orestis morte indicia, vel sunt rumores sine capite?

- Orest. Sunt. nam Strophius nos mittit cum literis et urnam plenam cinerum ex rogo Orestis addidit.
- Elect. O frater, o Orestes, nunc quia cineres oculis cerno et urnam manibus tango, nuncium verum esse credo. sed ad breve tempus, quaeso, mihi concede tantum bonum, ut urnam, quia tumulum lachrymis irrigare non possum, deflere detur.
- Orest. Porrige, quoniam ita ardentem instat.
- Pylad. Accipe, o virginum decus.
- Elect. O mi suavissime frater et dimidia animae meae pars, quam dispari specie ad me redis! discessisti a me pulcher regius filius, iam in cineres redactus es. cur te furata sum stulta? cur te in Phocidem transmisi? cur fatum hic te non oppressit? sic regio more et cum patre tuo sepultus iaceres, sororis manus te lavassent et digno vestitu te ornassent, quae omnia peregrinis manibus peracta sunt. o inutilia quondam mea alimenta, quae non labore gravi, sed suavi, ut soror et nutrix, tibi praebui; o vana gaudia, quae mihi tu in sinu meo ludens excitasti. viva mortua sum, nihil me capit amplius. sed mater cum adultero suo hilari animo est et in me tota debacchatur, nulla materna affectione tangitur. tu quidem saepius te venturum promisisti, sed adversa nobis fata obstiterunt. respice me de coelis, o summe DEVS, et finem aliquando impone laboribus. o dulcissima animula, discede ex tam afflicto corpusculo, ut ad charissimos meos descendam. tu vero, suavissime frater, recipe me in tuam urnulam; cum nullo enim libentius aeternum dormirem quam tecum: cupio enim et anima et corpore tibi esse iunctissima, praesertim cum mortuos nulla tangat molestia.
- Orest. Audi: mortalis ex mortali genitus fuit Orestes, quapropter moderate fer illius casum. novisti communem illam legem; quam fatuus est, qui non cogitat, debuisse mori. mortuus igitur tuus est? debuit. illo tempore, illo fati genere? debuit. in eadem via omnes sumus, ad eandem fati metam tendimus et pertingimus. infortunium, quod in fratris morte tibi evenit, mihi dolet. sed quid profero, silentio premeunda. tu hanc sortem, ego aliam; et quemque clade aliqua interna sive externa afficit illa Ate.
- Elect. Cur ita, mi hospes, male fers huius occasum.
- Orest. Esne tu Electra?
- Elect. Libera nata serva sum, sed unde nosti me?
- Orest. Vtinam misere pereant omnes paternae domus eversores.
- Elect. Quid ingemiscis? cur in me ita insurgis? quid misera in te admisi?
- Orest. Doleo vicem tuam.
- Elect. Sed quae causa tanti in me affectus?
- Orest. Malorum tuorum congeries et pertinax, quae tibi incumbit, fortuna ita me perturbat.
- Elect. Vix decimam miseriae partem audivisti: homicidis parere et servire cogor, nec libertatis spes ulla apparet.
- Orest. Omnino cares amicorum praesidio?

- Elect. In fratre spes ampla mihi fuit, et saepius me ea firmavi. sed tristi fato ereptus, in maiores angustias detrusit me.
- Orest. Animum recipe et collige te: ut summa sit rerum tuarum tranquillitas, efficiam, tristitia tua in laeta convertam.
- Elect. Qua motus ratione? attingisne me cognatione aut affinitate aliqua? esne Graecus?
- Orest. Soli si essemus, de omnibus te instituerem.
- Elect. Tuto loqui licet, nemo adest, o hospes.
- <Orest.> Depone prius urnam et fictitios cineres.
- Elect. Non possum; privari enim hac voluptate mihi durum. caput meum hoc tango et testor, nullum caput mihi charius fuisse hoc. malo igitur mori, quam carere tanto bono.
- Pylad. Redde, quaeso.
- Orest. Sile, quantum potes: mirabilia audies. hi non sunt fratris cineres; quare mitte fletus.
- Elect. Vbi ergo? et quid in hac urna continetur?
- Orest. Ducit adhuc vitales spiritus et non mortuus est.
- Elect. Orestes meus vivit? ubi quaeso? et qui valet?
- Orest. Ita est. non mentior quicquam. is ipse est, qui tecum loquitur.
- Elect. O felicem diem et albo lapillo notandum; o suavius meum, o deliciae. iam erit finis omnium calamitatum. o dulcis vox, o fida manus.
- Orest. Tace et noli me proprio compellare nomine, ne ante tempus agnoscar et, quod cum bono DEO feliciter ceptum est, impediatur in tempestivis tuis clamoribus.
- Elect. Quantas gratias tibi debeo, o frater? quod licet post longum tempus me liberandam veneris.
- Orest. Ad rem non facientia mitte nunc. quid sit aut nunc fiat, parum scire iam refert; nam occasio rem bene gerendi nobis amittitur. dic potius, quomodo adulteros voluptate falsa ebrios possim convenire. utrum fraude vel vi aliquid tentandum?
- Elect. Mater sola domi desidet; Aegystus nescio quo abiit, mox tamen venturus. quare diu cogitata ocyus perfice, Diis praesentibus.
- Orest. Fores crepuerunt, sile.

### Scena quarta

Paedagogus, Orestes, Electra, Pylades

- Paed. Quid sibi vult insanus ille clamor? discessistisne a vobis ipsis, omnisque ratio vobis periit, non intelligitis vestram salutem summis

periculis expositam? absque me esset, iamdudum omnia prodita essent. quare celeriter pergite aut turpiter peribitis.

Orest. Quid ergo sperandum nobis?

Paed. Optima quaeque: omnes te unum ex mortuis habent, gaudent in proprio periculo. quare ad rem, et differ in commodius tempus colloquia.

Elect. Quis hic, frater? obsecro per DEOS.

Orest. Non nosti. is, qui me abduxit in Phocycdem.

Elect. Salve et plurimum salve, o amice et conservator paternae domus. patrem videre me puto, recreasti et relevasti me labentem et virium aspirasti novam auram. quantum te nunc amo, quem propter triste nuncium oderam paulo ante vehementer. nihil mentior, una die te odi et amavi non remisse, sed acriter.

Paed. Alio tempore plura; dies noctesque subsequentes respondebunt ad interrogata. iam ad alia vocamur, longiorem orationem non expectat tempus. audi, Orestes: mater sola intus est, pauci adiuncti ministri; quare tempus minime differendum, et, quocumque feremur, vela danda sunt. in sermone uberius liberiusque, re confecta, agemus. iam sicut ii, qui a littore in altum provecti sunt, oculis votisque terram requirunt, sic vos identidem e fluctibus malorum ad portum aspirate; diu namque consulta exequi festinanter oportet, ut res ad exitum perducatur.

Orest. Si forte pugnandum erit nobis, fortiter et prudenter agite et cogitate linguam in consilio valere, in certamine dextram. per me si stabit, vi traham impudicam extra aedes, ut ibi moriatur, ubi pater meus caesus est. tu ad fores asta et diligenter observa, ne quis ingrediat; interim preme altum silentium et advenientem Aegystum, quo potes indicio, nobis significa.

Elect. O Apollo, adsis tua gratia et iniusticiam iusticia dele.

## Scena quinta

< Clytemnestra, Orestes, Electra, Pylades, Paedagogus >

*Extrahunt Clytemnestram, quae clamat.*

Clyt. Ah, vim patior! Aegyste, Aegyste, nisi cito subveneris, actum est de me; latrones ex occulto invadunt me. parce, Orestes, ne spolieta tua iuventus matris vitam.

Orest. Quia nec mihi nec patri meo pepercisti, quem hic truculenter macastasti, sanguinisque vestigia adhuc vides, hic hic moriendum tibi est, pessima. ades mens, gladius, manus exurgite et incalescite ad illos vindicandos, qui genitorem misere trucidarunt.



*Confodiunt ipsam.*

Elect. Geminam, quaeso, adde plagam. utinam Aegystus adesset, ut eadem, qua dignus est, morte occumberet! tegite cadaver turpissimum, lupus in fabula; recedite parum. DEOS nobis propitios esse vel inde colligo, quia relictis satellitibus solus accedit. ne ergo ex vestro ferro et manibus elabatur, fortiter et animose agite.

### Scena sexta

Aegystus, Electra, Orestes, Pylades, Paedagogus

Aegys. Hospites ubi sint, dicito, qui ex Phocyde missi mortem fratris tui annunciant; quod nuncium scio tibi acerbissimum.

Elect. Quomodo tam insperatus casus posset esse iucundus?

Aegys. Vbi ergo sunt? confirmantne fratris mortem?

Elect. Etiam cineres in urna attulerunt.

Aegys. Mors ipsius nobis commode accidit. sed ubi hospites?

Elect. Videbis, sed non sine horrore maximo.

Aegys. Parum moveor hoc nuncio; imo laetor, et mater tua valde gaudebit.

Elect. Vide, ne, quod putas fore gaudium, id existat exitium.

Aegys. Volo, imo impero, ut omnibus, qui cineres fratris tui videre gestiunt, liber sit accessus, ut discant cedere iis, qui potestatem summam obtinent, meque in posterum pro Rege agnoscant. huius enim improbi supplicium multorum improbitatem coercebit. sed ubi hospites?

Elect. Hic en praesentes.

Aegys. Hinc sunt cineres? removete, quo tecti sunt velo, ut cognatus lamenta consequatur.

Orest. Ipse tolle, quia amicus es; tibi enim permissi sunt cineres.

Aegys. Bene. tu, Electra, Clytemnestram iube mihi adesse.

Orest. Mox aderit, imo prope te est.

Aegys. O Clytemnestra, extincta iaces? quo fugiam, in quorum manus incidi?

Orest. Sentis te loqui cum mortuis?

Pylad. Iam, frater, sume poenas de homicida patris tui et aufer simul, qui vitae tuae insidiatus est.

Aegys. Adestne Orestes, quem mortuum stultus putavi? ah, parce vitae meae et sine me tecum loqui.

Elect. Quid cessas, frater? ne permittas multa verba fundere turpissimum, sed occide, confode et cadaver proiice feris, ut haec sit malorum, quae hactenus perpessi sumus, expiatio.

Aegys. Per magnos parentis manes precor: parce vitae meae.

Orest. Quam benevolentiam patri meo habuisti, eandem non aliam tibi debeo. quare para te ad mortem et adulter cum adultera morere.

*Confodiunt ipsum.*

Orest. Iacent, qui meum petebant iugulum. iam regnum paternum ad me redit, a quo diu peregrinus exulavi. ingrediar ergo, ut omnia in pristinum statum restituam.

## Actus quartus

### Scena prima

Orestes, Electra

- Orest. Heu me miserum! occidi, si nulla fugiendi via. vae mihi, parcite vel concedite aliquod respirandi intervallum vel statim abrumpite vitam.
- Elect. Quid mali tibi accidit?
- Orest. Mater adduxit furias, vindices facinorum et sceleris, quae miris modis conscientiae angore me excruciant. quoniam nullum refugium, gladio me defendam, primo matrem, postea Eumenides petens. en, habes mater; iam in furias me vertam.
- Elect. In lectum ito; gravissimus enim te corripit morbus. cur me petis? Electra sum, parce.
- Orest. Non te noveram, sed matris species oculis meis obversata est; quae me plurimis stipata monstris circumstat, serpentes ignivomos in me immittit.
- Elect. Ne iacturam maiorem facias in ista tua obseratione, lectum pete, mi frater. melancholici enim chronici isti morbi laneo pede veniunt, sed plumbeo recedunt.
- Orest. Si furiae quietem concederent.
- Elect. Nemo adest, mera oculorum perstrictio est.
- Orest. Caecane es? nonne vides?
- Elect. Obsequere, in lecto nihil videbis.
- Orest. Iam obsequor, sed altero pede retineor: non possum incedere, vix claudicare. ah, in sinistro etiam latere vulneratus sum. si moriendum, non inultus moriar! iam disceditis, ut quietus in lectum me conferre queam.
- Elect. Heu vitae legem, cui annexum angere et dolere in omni sorte. nunc re ipsa experior, tritum illud verissimum esse 'nulla calamitas sola', quod familia nostra testatur vel optime. Tantalus enim ex Iove natus misere cruciatur. Pelops socerum suum interficit. Thyestes incestum cum matre committens, filii carnibus vescitur. Menelaus impudicam coniugem ferre cogitur, ut et pater meus Clytemnestram, a qua misere trucidatus est. Orestes ulciscens patris mortem, sustulit ferro matrem cum adultero, sed misere iam cruciatur conscientia et furiis mire ipsum exagitantibus. ab omni cibo ac potu abstinet; quietem nactus, deflet miseriam. furiis agitatus ex lecto exsilit. nos ab omnium hominum consortio exclusi legibus ita violentibus; parricidas enim nemo recipit. hodie quoque lapidibus nobis moriendum. in solo Menelao nobis aliquid spei; quam si nobis denegaverit, miserrimi sumus. sed Helena advenit; quam si effuge-

re possem, certe facerem: non enim libenter cum illa sermones confero.

## Scena secunda

Helena, Electra, <Orestes>

- Hel. Quid egistis? in quod infortunium vos praecipitastis? ubi est Orestes? quomodo habet?
- Elect. Aspice, hic iacet semimortuus. iam sextus dies est, ex quo oculi mei somnum nullum viderunt.
- Hel. Bone DEVS! spectrum, non hominem video. est, quod a te petam; quaeso, ne deneges. haec ad sepulchrum sororis defer; ego enim propter Graecorum metum exire nondum audeo, ancillam mittere indignum, filia Hermione aetate minor est, quam ut hoc efficiat.
- Elect. Per filiam optime haec fieri potuerunt. ego enim matris tumultum aspicere non possum nec cura fratris me discedere permittet.
- Hel. Bene, mittam filiam.

## Scena tertia

Helena, Hermione, Electra, <Orestes>

- Hel. Hermione, cito adsis: libamina cum sectis meis crinibus sume et ad sepulchrum Clytemnestrae appone, lac temperatum melle effunde et tumulo adstans, ut precibus iram DEORVM, quae tota in hanc exarsit domum, placare dignetur, ora. ito bono omine.
- Herm. Nulla facta mora diligenter, quae mandasti, perficiam, licet haud libenter: aliquid enim mali praesagit animus.
- Abit.*
- Hel. Dormitne iam?
- Elect. Compressa voce et sine strepitu caute ambula. interdum ita captus omni sensu est, ut e vita discessisse videatur; trahit enim magis spiritum, quam ducit. interdum ad se rediens gemit, silet et horrende clamat. paulatim consumitur; ut lignum occulta terendo consumit, sic vires delimat paulatim et exedit conscientiae vermis. morbus acutus corpus per se siccum et aridum poene reddit cornu.

Hel. Miserrimi estis, sed ipsi hisce malis causas praeuistis. impetus est et calor, quae vos perdidit et perdit.

Elect. Mater prima malorum causa exitit. sed submissius loquere, ne, vocis sonu exterritus, expurgatur.

<Hel.> O dulcis somnus, o nox, occupa miserum corpus, ne ita turpiter viribus deficientibus et mente mota decedat.

<Elect.> O mater, succurre. secede paululum, ne te adesse animadvertat; clamosa enim voce excitasti.

*Helena abit.*

### Scena quarta

Orestes, Electra

Orest. Hic somnus, o soror, paululum me recreavit et morbi acuitatem discussit. sed quia nocti successit dies, dic, ubi fuerim? et quomodo hunc in locum venerim? superis sit laus, malum deseruit me. sume linteolum hoc, absterge sudorem et spumam oris; vix enim loqui possum. oculos etiam, ut clarius cernere possim. crines iam compone et corpus meum attolle.

Elect. Tua mihi valetudo magnae voluptati est; et ut serpentes positae exuviis redire dicuntur in novam iuventutem, tale mihi, quae nunc demum auspicari videor vitam. prompte volo et debeo, quicquid voles, ut admoneri modo debeam, non rogari.

Orest. In te inclinam corpus; prae nimia enim lassitudine sedere vix possum. admove culcitram; surgam et periculum faciam, an incedere possim. aegroti varia moliuntur et interdum falsa opinione recipiunt sanitatem.

Elect. Est, quod libenter dicerem, frater.

Orest. Si bonum est, libenter audiam, tu autem gratiam feres; sinistrum quid, noli ceptam turbare valetudinem.

Elect. Menelaus patruus ex bello rediit.

Orest. In huius adventu aliquid salutis nobis refulget, si modo solus sine Helena.

Elect. Venit et ipsa, quamvis mallet abesse. ah frater, reditne malum? putabam te evasisse ex morbo, rursus cadis in eundem de integro? stare te putabam, relaberis, vires acceptas remittis?

Orest. Quid me excrucias, mater? quid conficitis me, furiae? soror, abige, quaeso, serpentes infernales: ni opem tuleris, brevi nos interficient. quia enim inferorum ignes et pestilens venenum in me evomunt, in-

ferior sum laboribus. quo me vertam? in quem locum, ut sim tutus, fugiam?

Elect. In lectum ito. nihil adest, ficta simulachra occupant oculos.

Orest. Et tu, Apollo, etiam a me discedis et diris serpentum morsibus me obiicis.

Elect. Non patiar te denuo surgere, nisi me interfeceris.

Orest. Fac me missum; in infernum enim trahor. resistam, quantum possum. Apollo, cedo mihi arcum et sagittas, quibus spectra talia fugare possim. cedunt pessima et declinant ictum. non me, sed Phoebum accusate, qui suo oraculo ad tantum facinus admittendum me impulit. ubi sum, o soror? quomodo a lecto aberravi meo? iam nihil video.

Elect. Quid fles? et cur obvolvis caput et faciem tegis?

Orest. Meas miseras nulla aequat infelicitas; miser omnibus vexor calamitatibus, sed nolo iterare ingrata. oraculo obsecuti, mala patravimus; patri, scio, hoc nostrum factum displicet et redire in hanc lucem non optat. quare patienter feramus temporum sortem et, quidquid Deus ille noster dedit, excipiemus libenti, imo hilari fronte. omnino enim lenius omne malum fit leniter ferendo. interim quando intelligis morbum redire, fortiter me tene, consolare. idem faciam, quantum in me est, si sanus sum. iam autem recede paululum, somnum cape, lava corpus tuum et aliquid cibi assume. si enim tu quoque decumberes, neuter alteri succurrere posset.

Elect. Invita a te discedo; mallet enim tecum mori, et hodie quidem, si Diis ita placeret. sed quia tibi ita videtur, in tui gratiam cibum capiam. noli tamen, dum absum, surgere; non diu abero.

*Abit.*

## Scena quinta

Menelaus, Orestes

Mene. Haec regia et gaudio et dolore me afficit aspicientem. similem enim fortunam in nulla vidi gente. Agamemnon per uxoris cadit manum, filius obtruncat matrem, sed iam misere cruciatur; quem iam convenire volo.

Orest. Hic est, quem quaeris, miserrimus ille, qui lenta via it ad mortem. accede, o Menelae, ut audias et videas, quibus premor malis, quo promptior sis ad meam et sororis vitam conservandam. praeter te enim habemus neminem. confugimus igitur ad te ut in asylum.

- Mene. Quid video, spiritum an cadaver? unde tanta faciei turpitude? quae causa tantae siccitatis? quod caput tantorum malorum?
- Orest. Conscientiae flagrum post peccatum animum meum ita verberat, ut moerore contabescam: mortuus vivo, cadaver loquor. mater a me interfecta tormentorum fons est; ex eo enim die nec quicumque aliorum intra corpus sumsi. quare furis ita exagitatus ab humana forma plurimum discessi.
- Mene. Ad mala patrata sunt atra theatra parata.
- Orest. Cur Phoebus ergo iussit, caedem caede et sanguinem sanguine ex-  
piare?
- Mene. Cur non auxiliares manus affert idem?
- Orest. Cunctatur interdum, non semper praesto est auxilium divinum.
- Mene. Sed quid de populo tibi sperandum? permittetne tibi regni habenas?
- Orest. Vt ruente quercu ligna quis colligit, sic ego contemnor ab omnibus et plane desertus sum; in primis vero Aegysti amici et fautores oppugnant nos quam acerrime. et quia custodes portis appositi, refugium nullum datur. tu solus es praesidium nostrum, sacra ancora in summis fluctibus. ne nomine tantum amicus dicaris, factis ostende amicitiam tuam et in re dubia da fidei signum aliquod. iam factum est de me: nam Tyndarus accedit, ad cuius vel nomen erubescens pudore afficior; plurima enim in me puerum contulit beneficia, sed iam ingratus invenior. heu heu, quo me abscondam? poenitentiam enim iam ago impudentiae meae.

### Scena sexta

Tyndarus, Menelaus, Orestes

- Tyn. Non procul regia me abesse puto, libenter convenirem Menelaum generum.
- Mene. Salvus sit adventus; propius accede, mi socer.
- Tyn. Quid tibi rei cum parricida, gener? cur dignaris execrandum et turpem compellatione tua? iam non est tempus insanientem hominem auscultandi, suum ipsius morbum laudibus efferentem.
- Mene. Patrem habuit clarum et sanguine nobis iunctum: ex patris ergo dignitate apud me in honore est et pretio.
- Tyn. Non sobrie loqueris; hanc tu retine mentem, non ego. quis DEORVM consilia tua corruptit et hebetavit sensus? non laudanda laudes et per affectum recedas a certissima iudicis norma, ut oculi, ubi glaucoma obsides, puri non vident; non item mens, ubi adfectus. praeiudicium tibi iudicium omne sustulit. non facile animus verum pervidet, ubi affectus officiunt. est enim pessimum veri affectus

venenum. amicorum ita habenda ratio nobis, ut praevaleat suprema illa lex, patriae salus. postquam Agamemnon a filia mea inique - curvum enim rectum nunquam dixero - interfectus est, Orestes in iudicium matrem vocare debuisset, non ipse sententiam ferre, non iudicium pronunciare; multo minus ad supplicium procedere, sed implorare legitimorum iudicium sententias. ex domo potuisset exigere, non trucidare; ita excusatus fuisset. iam vero stulticiae suae gravissimas poenas pendit Diis et Reipublicae. si enim hoc in exemplum trahi deberet et a coniuge rursus interficeretur, filius autem eandem morte mulctaret, quis finis caedium futurus esset? infideles et impudicas uxores acerbe et penitus odi; ita et a Helena tua alienum animum gero. nec probo etiam, quod propter nequissimam foeminam tanta et difficilia pericula subieris. illos mores, quibus tot boni viri, urbes, regna eversa sunt, tanquam Reipublicae pestes abominor.

ubera, quae suxisti, pessime, a tanto vitio te abstrahere debuissent. sed quia minus religiosum, quam conveniebat, erga matrem te gessisti - nullum enim scelus gravius est aut detestabilius, quam parentibus vim inferre -, merito sentis omnia mala, in omnium bonorum invidiam incidisti, odit te civitas, aversantur te Dii.

quare tibi autor sum, Menelae: si vis Deos propitios habere et dici iusticiae administer, noli pessimis autoritate subsidio venire, sed, quia de vi damnati sunt, aqua et igni interdicere et morte mulctare. filia, ut verum fatear, iusta perpecca est, ut mulier non unius peccati, sed multorum maleficiorum convicta. corporis enim impuritas in foemina una ianua et aditus est ad omne scelus. filii tamen non fuit, sibi ipsi ius dicere; quare leges et iusticia ipsum accusant. ex flagitiis et sceleribus liberorum meorum accepi maximos et incredibiles dolores. o felicissimi patres, qui ex honestis filiorum moribus voluptatem et laeticiam capitis!

Orest. Ne me tibi opponam aut acerbius aliquid in te dicam, aetas tua grandior me abstrahit; ne tibi homini iracundo stomachum moveam. homicida sum, fateor, sed propter illum, a quo vitam et nomen gero, regnum etiam, nisi vi ab aliis occupatum fuisset, sperassem. filia vero tua, pudor est dicere, primum fregit fidem coniugalem et cum Aegysto furtivos sequebatur amores; deinde regno Regem, patriae vero et mihi charissimum patrem eripuit. ut exemplum ergo domesticum supponerem meis Graecis, ne ignominiam et infamiam similem sufferendam putarent, hoc, hoc meo praeivi facto. si enim ad hoc impune progredi licebit foeminis, quaelibet levi de causa occidet maritum. et patris sanguis et oraculum hoc, quod feci, facere me iusserunt. non me ergo sed DEVM accusa.

Tyn. Tu defensionem pulchre instituis quidem. sed quia de impietate et superbia nihil remittis nec te subiicis et nimium tibi placet, acri tua oratione stimulos mihi addidisti, ut populum hortor, quo hodie iuxta rigorem iuris summo cruciatu supplicioque homo sceleratissimus



cum sorore pereas; dignus enim es acerbiori monitione. tu vero, Menelae, si me amas, noli desertorum patrocinium suscipere, sed sententiam profer iuxta legis tenorem. iam me abduc, famule.

*Tyndarus abit. Orestes ad Menelaum.*

Orest. Solus tecum loquar, Menelae: ponam frontem et ad te veniam petiturus aliquid. sed quo abis et tu auxilii et opis egentem et ad te accurrentem prodis, dum auxilia, quae tua in manu sunt, abnuis?

Mene. Quid faciam, non habeo; ita fluctibus curarum iactor, ut a portu prorsus excludar.

Orest. Ausculta parum. beneficium, quod a te exigo, plenum firmumque nunc effici est in tua manu. ut pluvia illa inutilis, quae in lapides aut rupes cadit et superne irrigat tantum, sic amicitia, quae in ore et verbis tantum consistit, ad res vero <et> beneficia nunquam descendit. pater meus ad revocandam uxorem tuam decennale bellum non sine magna molestia et maximis sumptibus gessit: benevolentiae, quam pater meus tibi habuit, portiunculam mihi retribue. non pro regno aut civitate apud populum intercedas, rogo, sed pro vita, quae omnibus chara; et in exilium nos eiice. poteris, si vis, tua auctoritate rogando impetrare, ne tota familia pereat. cum secunda afflaret fortuna, facile amicis carere potui; tu re dubia amicus sis. per amores Helenae te rogo; nam ipsa, ut optime nosti, horum malorum fons et origo. cogita fratrem Agamemnonem tibi astare et pro liberis charis idem efflagitare precibus.

Mene. Cupio quidem vos salvos, o Orestes, et vitam vobis exorare studebo, si modo Diis volentibus id fieri poterit. novisti enim universe verum esse, nihil rite nihilque providenter homines sine Deorum immortalium ope et consilio auspiciari. vi contra populi insolentiam nihil valemus; pauci enim sumus et infirmi: tu ex morbo, ego ex itinere fractas vires nondum collegimus. quare fraude res aggredienda. ut enim magnus ignis pauca aqua non extinguitur, parvus aut<em> facile et per se marcescit, praesertim si in carbones reductus, ita etiam furor populi non facile vi tollitur, sed muneribus et verborum lenitate. quare primus omnium gener meus bonis verbis mitigandus, postea primarii plebis flectendi. a quibus, quia nihil adhuc, postquam ex bello veni, petivi, facile, quod volo, obtinebo.

*Abit. Orestes solus.*

Orest. O vecors homo, o vir exigui animi, qui tantum pro scortillis bella gerere, amicis autem succurrere non nosti. ah pater, ubi tua merita et beneficia? nihil inde in liberos tuos utilitatis redundat. quo fugiam miser, ab omnibus propinquis nudus? sed Pyladem, ni fallor, accurrentem video; quid novi afferet? is in adversis meis subsidium unicum.

## Scena septima

Pylades, Orestes

- Pylad. Dum iudices accedo, tibi sororisque animam lapidibus elidendam concludunt. qui vivis? quomodo habes? quid angeris, o suavissime?
- Orest. Nil aliud speravi: Menelaus enim totus a nobis defecit.
- Pylad. Tecum aut vivam aut moriar. si nulla alia spes, idem sepulchrum teget nostra corpuscula. nam ut vulgo dicitur, amicis omnia communia. ab Helena haec cuncta promanant mala. sed quid responsi dedit Menelaus?
- Orest. Vt magni oratores ea, quae iacere videntur, excitant atque erigunt, ita hic, ut parum amicus sincerus, solet exaggerare rem, promittere aureos montes. ad Tyndari vero aspectum omne denegavit auxilium. non amicorum, sed scortorum defensor natus.
- Pylad. Omni ergo auxilio destituti estis?
- Orest. Perire gladio aut lapidibus magni Regis filium oportet hodie.
- Pylad. Coniice te in fugam et relinque cuncta, quae possides.
- Orest. Propter vigiles, quibus cincta est urbs, evadere non possum: viam nobis omnem intercludunt.
- Pylad. In simili luto tecum haereo; nam a patre meo, quod in morte matris tibi adfuerim, e patria eiectus sum.
- Orest. Ne mecum ad mortem rapiaris, fuge, o Pylades; populus enim totus vesanus et furiosus est. non delectu aut sapientia ducitur ad iudicandum, sed impetu et quadam etiam temeritate.
- Pylad. E Menelai moribus et ingenio me iudicas, sed male. si manes, estne spes aliqua salutis?
- Orest. Vix credo.
- Pylad. Ad populum ergo ito. dic te patris vindictam suscepisse idque Apollinis iussu, deprecare culpam. si nihil aliud obtinueris, fortiter ultimam accipe sententiam: melius est animose mori, quam animo muliebri indecore et effoeminate.
- Orest. Placet consilium, tecum ibo. sed nonne sorori res prius indicanda?
- Pylad. Nequaquam.
- Orest. Quid si morbus in via me invaserit? tunc neminem habeo, qui mihi adsit.
- Pylad. Me habes assiduum comitem: a latere tuo non discedam, sed dirigam et firmabo vacillantes tuos gressus.
- Orest. Vereor autem, ne contagio morbi corripiaris.
- Pylad. Etiam tecum mori volo. nam ut bona tecum attigi, ita mala gustare minime recusabo. amicitia namque vera hoc exigit.
- Orest. Vnum prius rogabo: deduc me prius ad tumulum patris, ut ab illo exorem vitam et salutem.

Pylad. Sed properandum, ne nigrorum calculorum multitudine premaris; in via plura loquemur. latus tuum male habens fortiter in me inclina, in caducum parietem non inclinabis; si ire non poteris, in humeros meos te imbecillem efferam. malo me ab insano populo rideri quam a viris bonis, quod amici boni officio parum functus sim, accusari.

Orest. Iam experior, quantus thesaurus sit bonus amicus. et ex animo gaudeo, mea causa, tua, seculi: mea, cui is amicus obtigit; tua, cui ea virtus; seculi, cui hoc exemplum. quoniam autem tantis tuis officiis respondere non possum, nisi forsitan, dum memoria teneo, me referre gratiam putes, superos exorabo, ut pro officiis tuis plus quam humanis divina exponant beneficia.

*Abeunt.*

## **Actus quintus**

### **Scena prima**

Electra

Elect. Quid hoc? lectus nudus sine Oreste? ubi erit? prae metu obmutesco.

### **Scena secunda**

Nuncius, Electra

Nunc. Sinister nuncius sum, o virgo regia.

Elect. Cur, quid agitur cum Oreste?

Nunc. Cum Pylade ad subsellia iudicum venit, ut ipse sententiam audiret extremam.

Elect. Sulte actum ab utroque. sed quid conclusum?

Nunc. 'Hodie moriemini lapidationis supplicio.'

Elect. Nulla miseratione iudicum mens permovetur. nemo nobis suffragatur.

Nunc. Postquam suffragia voce ferri ceperunt, Thalthybius morte vos damnavit. Diomedes exilium sufficere putabat. tertius extremo supplicio tam atrox factum puniendum dicebat; cui et Tyndarus subscribebat, dicens iustam esse animadversionem in homines nocentes. ab his omnibus dissentiens quintus, coronam vobis debere affirmabat, quod non solum patris mortem ulti essetis, sed et totius regni dignitatem omniumque virorum salutem quaesiveritis. quare vobis vitam minime eripiendam conclusit. interea accessit Orestes magna contentione clamans: 'nihil antiquius communi salute ducens vestram, vestram salutem spectavi, fratres: si enim foeminis liberum erit necare maritos, concidit omnis maritorum libertas et autoritas; qua perdita, servi facti iugum foemineum vobis imponitis. ad animum revocate, maiores nostros Deorum honores tribuisse iis, qui tyrannos necaverunt.' sed quia nulla liberationis spes erat relicta, ut sua periret manu, rogabat; quod tibi et illi permissum est. subsequitur me cum Pylade, qui vehementer amici vices deplorat. quare para te ad mortem et vel tuo te confode gladio vel venenum hauri.

Elect. Heu heu, unde exordiar querelas? quibus gemitibus aut verbis deplorabo calamitatem tantam? o patria, o clara domus, o sol, vos non amplius aspiciam. sic Pelopis gens tota perit una die. ah frater, moriendum nobis, nulla nobis datur venia?

*Nuncius abit.*

### Scena tertia

<Orestes, Pylades,> Electra

*Orestes et Pylades veniunt.*

Orest. Fero meum casum patienter, quem mutare non licet; tu quoque imitare meum exemplum. Deus ita vult, dolendo nihil efficies; quare fatis te submitte et patienter perfer ferenda.

Elect. O solis lucidus spendor, o vita chara, quam durum mihi est vos relinquare! omnibus enim innatus aliquis metus est a solutione et morte. si autem mea tuam mihi charissimam vitam redimere possem, libentius morerer.

Orest. Sile, quaeso; nam mihi animum mollem et effoeminatum reddis hisce gemitibus.

Elect. Iuvencula, viribus integra, regia filia, virgo, hodie vitam deponam? o invictae necessitatis leges.

Orest. Hodie Pelopis domus extirpabitur et funditus tolletur. sic fati vis est; nostrum ergo, quae non in nobis, ferre et alto animo excipere omnem casum. queri mollitia est, reluctari insania.

Elect. Tuum ergo stringe gladium et confode me.

Orest. Non faciam, sat est matris fudisse sanguinem.

Elect. Faciam ipsa, sed altera manu amplectar te, ut in tuis deficiam ulnis.

Orest. Quam laeticiam inde hauries, quaeso; sed vanam hanc cape voluptatem. o connexio dulcissima, o suavissimus amplexus! ita ergo moriemur, quoniam nulla salutis spes restat. ultimi hi sermones liberi nostri, tumulus vero communis lectus coniugalis esto.

Elect. Vno in tumulto corpora nostra iungantur, opto; sed vellem etiam, ut gladio uno vita adimeretur.

Orest. Neutrum fiet: tu me non, ego te confodere non possum; amici non curabunt sepulturam nostram. sed ut ut sit, moriendum est; vale ergo soror suavissima, vale amicorum fidelissime. hoc unice a te rogo, ut, si per populum furiosum licet, componas post mortem corpora nostra et in patris sepulchrum reponas; interim vale et quidem feliciter.

Pylad. Cohibe manum; iam enim optimus locus tecum expostulandi.

- Orest. Sed breviter, diu enim iurgio contendere non licet.
- Pylad. Putasne vitam mihi sine te iucundam aut honestam futuram?
- Orest. Cur velles tibi abrumpere vitam? qui non parricida es; patrem tuum iam diu poenituit sententiae severioris teque revocat ab exilio. sequere ergo: abundas divitiis, honoribus, regione ampla, amicis. ego praeter ignominiam nihil possideo. unicum me turbat, quod Electra non potest tecum vivere; aliam ergo quaere sponsam. ego ad patrem meum et alios consanguineos veniens praedicabo, ut decet insignem tuam in me fidem. his vale.
- Pylad. Vnius fere oblitus essem: nonne meo consilio et auxilio interfecisti matrem? quod nunquam negabis. quoniam ergo causa calamitatum tuarum, cur non socius et particeps supplicii essem? hoc si fecero, terra non suscipiat corpus meum, coelum non capiat spiritum. tanta infamia notatus, post te non vivam; non solum amicus in rebus prosperis, sed et infortunii esse volo socius. et qui possem comitatum tam clarum, in quo etiam sponsa mea, deserere? vester amor ita trahit et nequit me vobis adamantino quodam vincolo, ut nulla vis, nullus periculi metus laxare aut solvere possit. sed audi novum consilium: Menelao etiam in morte nostra dolores creabimus, ut nobiscum miser sit.
- Orest. Si fieri posset, libentius oppeterem mortem.
- Pylad. Reconde ergo gladium et audi.
- Orest. En, differo mortem; sed quomodo dabitur ulcisci et persequi ingratum Menelai animum?
- Pylad. Helena ad Nigram Deam demissa.
- Orest. Aditus nullus ad tantum patet facinus; barbaris enim ministris stipata est plurimis.
- Pylad. Hi minime timendi: non enim fortes, quia non ad arma, sed ad muliebria tantum tractanda nati; quare furum manipulum sicut avium pascentium globum pedum strepitus et gladiatorum splendor disturbabit.
- Orest. Si tanta felicitas mihi contingeret, non recusarem bis mori.
- Pylad. Quoniam res magna, magno ausu aggredienda: oportet nos aulam summa celeritate subito petere, occultatis gladiis, Reginam nil tale cogitantem accedere, sed tristi voce et gestibus, quasi auxilium eius imploraturi; ministris postea in fugam coniectis et foribus ocllusis captis, reliquis vero, qui clamant aut se nobis opponunt, interfectis, praeda nos<tra> erit, et ego primus in illam ensem stringam.
- Orest. Iustus malorum vindex det felicem successum.
- Pylad. Sic nos in libertatem vindicabimus gloriosumque nomen apud omnes Graecos obtinebimus tanti belli face et tot viduarum auctrice e medio sublata. nec Menelaus alia felicitate dignus videtur. si autem praeter spem nostram evaserit Helena, regia incensa moriamur simul, rogo combusti satis splendido.
- Orest. Amicus verus melior divitiis, praestantior regno; audiat fides, audiat veritas. rationem tollendi Aegystum monstrasti, autor iam es et

adiutor perdendi illos, qui omnium nostrarum calamitatum principes extitere.

Elect. Si liceret mihi virgini, quid videatur, dicere, interponerem aliquid, quod forsitan non esset extra cantilenam. Hermione iusta feralia Helenae obtulit; hanc redeuntem capite, captam tenete et ad patris adventum, post Helenae mortem, reservate. nam si Rex propter Reginae mortem exemplum in vos edere vult, mascula respondete voce, ni vitam vobis promittat, filiam quoque nos iugulandam constituisse.

Orest. Non virgo, sed virago es; digna diutius vivere. tali uxore privaberis, o Pylades, ex qua generosos filios suscipere potuisses. sed quando veniet Hermione?

Elect. Non procul abest.

Orest. Nobis ingredientibus, tu foris praestolare Hermionem; si alius quis ingredi vult, vel voce vel pulsibus indicato. gladium para, Pylades, et adsis fidus comes. tu, o pater, defende nos ab inimicis, quos tu magnis ornasti beneficiis.

Elect. O pater, e terra exaudi liberos tuos, succurre et auxilium mitte.

Pylad. Tu, socer, rege manus nostras et adde vires, ut feliciter ceptis finem imponamus. tu, Iuppiter, vero in impios iram effunde tuam; et tu, iusticia, exerce tuum ius in iniustos, adiuva et miseros nos tandem solatii aliqua aura adspira.

*Ingrediuntur, fit tumultus et clamor.*

Elect. Agite, perimite, confodite, occidite, quae cum amatore clam aufugit, genialem lectum deturpavit multosque Graecorum in bello et mari vita privavit. sed Hermione advenit coronis cincta; a qua nisi vitam habebimus, ocyus deserenda erit.

## Scena quarta

Hermione, Electra

Herm. Sacra perfeci, sed ob tumultum in aedibus auditum non parvo timore praeterrita sum.

Elect. Noli mirari: status noster flebilis huic occasionem praebuit; hodie enim mihi fratrique meo moriendum. is iam matri supplex factus, orat, ut intercessione sua vitam nobis servet. tu, quaeso, idem facito. Menelaus enim pater tuus totus a nobis est abalienatus. ne nos deseras miseros, sed precibus tuis apud matrem adiuva; perge, tecum ibo; nam tu sola salutis nostrae portus. fac ergo, in convenienda matre tuum studium exstet.

- Herm. Servemini per me, bono animo esto.
- Elect. Divina quadam virgula factum videtur, ut ipsa hora ac paene momento adveneris. praedam ne dimittite. agnoscis matrem; nisi opem et salutem nobis indigentibus dederis, idem tibi accidet.
- Herm. Parcite mihi iuenculae: dabo pro vita omnia, quae possideo.
- Elect. Tacendum nunc tibi; nobis, non tibi saluti venis. vos, ne elabatur, cavete et strictis gladiis usque ad Menelai adventum tenete; non diu aberit.

### Scena quinta

Phryx servus barbarus

- Ser. Vix evasi mortem; mihi prospexi et vitae meae, de sociis parum sollicitus. sed quo fugiam miser? utinam in Ilio ad Troiam essem. has aedes non ingredior amplius. tres Graeci uti leones fortissimi ibi dominantur: unus regius filius, alter Strophius versutus et cautus ut Vlysses et amico suo fidelissimus, tertius senex. principio tristes incedebant et humiles, supplices facti; Reginae auxilium implorabant. sed ut par amicorum est, ita etiam ingenio pares. ingressi enim conclave, ubi Helena erat, prostrati ad pedes eius rogabant, ut dimissis ministris ipsis solis in re arcana aures daret. Strophius includebat socios hinc inde diversis in locis. mihi soli cum flabello astare permissum fuit. Reginam a stipatoribus nudam aggrediuntur, strictis gladiis confodiunt. ego magno clamore implens domum, vix tandem evasi. qui in auxilium accurrebant, vel fusi sunt vel fugati et vulnerati.

### Scena sexta

Orestes, Phryx <servus barbarus>

- Orest. Quid clamas, furcifer.
- Ser. Tuarum partium sum, o Rex, et contra omnes pugnare paratus, qui vestri hostes sunt; tu enim longe praestantior Menelao.
- Orest. Quid sentis de morte Helenae, iurene caesa est?
- Ser. Talionis poenas dedit. nam et Graeciae et Phrygiae pernitias fuit maxima! sed averte a cervice mea gladium.



- Orest. Splendor ferri oculos ferit cordique tristiciam infert.  
 Ser. Timeo vitae; quotusquisque enim est, qui diu inter homines agere non exoptet.  
 Orest. Sagacitas mentis te salvat. quare tolle te et aedes ingredi.  
 Ser. Vt moriar intus vel vivam?  
 Orest. Si tacere poteris, salvus eris; et libero te omni metu. sed audite intus, Menelaus venit, faces accendite. ego fores claudam et affirmabo, ne facile effringi queant.

## Scena septima

Menelaus, Orestes, Hermione, Electra

- Mene. Quam sum sollicitus de meis; diffidentes enim et desperantes rebus suis pessima quaeque tentant. et fractis rebus violentior ultima virtus. aperite ostium actutum, ut coniugi filiaeque succurrere valeam. quamvis, ut audio, Helena per gladium cecidit.  
*Orestes desuper.*
- Orest. Sero advenis, mi vir. discede ab hisce aedibus, aut ego comminam tibi caput lapide. introitus ita clausus, ut nullus ad nos pateat aditus.
- Mene. Satis superbe respondes, miser. sed quid ignis sibi vult? cur filiae cervici gladium intendis?
- Orest. Si filiae vis mandare, quod matri referat, tacito; iam enim mea peribit manu. filiae namque et matris animas patri nuncios mittam tibi, quo possum modo, aegre faciam. nam proditor vitae nostrae es, non amicus bonus.
- Mene. Nisi alis assutis fuga salutem petiveris, de te etiam iustas sumam poenas.
- Orest. Non fiet, nec evolabo tamen ex hoc nido; sed incensa domo simul conflagrabimus omnes. quia enim ipsa paterna domo carere cogar, faciam, ne tu eam inhabites.
- Mene. Ah, ne feceris! tolle a filiola ensem.
- Orest. Argivis persuade et efflagita oratione docta, ne nos occidant cives. tunc filiam tibi reddam.
- Mene. Vix potero: occasio expectanda; et praevertere aut facere eam, ve-reor ut possim.
- Orest. Electra, iniice ignem tectis. tu, Pylades, inferius accende. ego hanc confodiam.
- Herm. Miserere, o pater, filiae nec patiare eam in prima aetate excedere vita.

Mene. Quid faciam? opem libenter ferrem, sed rationem non video; periculum tamen faciam et quam citissime.

*Rex abit.*

Elect. Si liberamur, fraudibus meis obtinemus vitam; sed advolat dux quidam cum militibus.

Orest. De exitu bene spero, quis causa bona. quid nuncias? quae sententia lata est?

### Scena octava

Dux militum, Orestes, <Hermione>, Pylades, Electra, Paedagogus

Dux Rex et populus vult, vos statim in exilium ire; quique domo vos receperit, ex urbe quoque eiicietur. et qui ultra praescriptum tempus in urbe vos offenderit, impune vos interficere poterit. ego cum militibus, quos mecum duco, vos salvos et incolumes, ne a civibus vis vobis fiat, educere iussus sum.

Orest. Praeter spem et sententiam servati, Diis, Regi et populo ingentes habemus gratias. libenter igitur et statim exhibimus urbe. tu vero Regi Hermionem salvam, ut regiam, restituito.

## **Actus sextus**

### **Scena prima**

Iphigenia

Iph. Hic in Tauris sacerdotio me Iphigeniam, Agamemnonis filiam, praefecit magna Diana; et cogor omnes peregrinos hospites sacrificare. ego quidem lavo eos tantum; qui mactant eos, in templo includuntur. hac nocte somnium mirabile vidi, quod variis cogitationibus distrahit animum meum et curis. domi fui in aedibus paternis, ecce: exoritur subito ventus, subsequitur terrae motus, ex cuius succussione concidit tota regia, excepta una columna, quae vocem humanam reddebat; hanc lavavi ad sacrificium. somnium hoc de familia Agamemnonis interpretor, quam morte usque ad fratrem excisam existimo. qui frater postquam DEI eiusdem Sacerdos factus, et ipse mortuus est. quare in templum ibo et inferias ipsi agam.

### **Scena secunda**

Orestes, Pylades

- Orest. Diligenter prospice, mi frater, ne ex improvise obruat et opprimat nos casus aliquis tristis. haec ara erit, in qua mactantur hospites; iactamur, imo mergimur, nisi quid adiuvat supera illa manus.
- Pylad. Recte iudicas; tota enim sanguine madida est, et ossium fragmenta circum circa iacent.
- Orest. Quando finem impones, o Phoebe, meis laboribus? post matris mortem te suadente iter huc suscepi, ut a furiis aliquando liber essem et spectris nocturnis? iussus a te sum templi idolum Athenas mecum deferre; qua vero ratione id conficere valeam, nondum video: moenia sunt altiora, quam ut transcendere possint; portae ita munitae, ut non effringi. quod etsi fieret, intus custodes latent, a quibus proditi et capti, mortem effugere non licebit.
- Pylad. Ab oraculi vaticinio periculum nos avocabit nullum; nam nec consilio prudenti nec remedio sagaci divinae providentiae fatalis dispositio subverti vel reformari potest. paululum interim a templo secedere nos oportet, in antro quodam latitantes, ut nocturno tem-

pore cuncta perlustrare queamus. metus nihil efficit, fortuna adiuvat fortes. imo fortuna audacia et vires virtute superanda sunt; audentibus vero nihil inexpugnabile, nihil munitum animosis.

### Scena tertia

Rusticus, <Adiurati, Subulcus, Orestes, Pylades, Opilio>

*Abscondunt se, incolae inquirunt in illos.*

Rust. Peregrinorum vestigia hic observavimus, sed quo se abduxerint nescio. quare diligenter inquirendi, ne, si Rex resciscat noster, poenas luamus gravissimas. sed quid in hoc antro latitat? nocturna spectra esse credo; exorcismo facto ad inferos descendere cogam.

*Adiurati egrediuntur.*

Adiur. Peregrini sunt, capite illos; feliciter res successit. tenete, antequam gladios stringant.

*Capiunt Orestem.*

Sub. Manus date, gladios deponite.

Pylad. Nunquam faciam, sed pro vita pugnabimus, donec spiritum, quem natura dedit, reddamus ultimum.

Opil. Hic tenetur et, vel anguis fiat, non elabetur; vos manum iniicite alteri.

Orest. Adsis, Pylades, et fortiter pugna, ne inulti moriamur. si potes, libera fratrem.

Pylad. Mittite socium, dico, et abite in malam crucem, aut capita vobis diminuam.

Sub. Ni succurratis, captum dimittere cogor.

Rust. Vos vicini, quotquot adestis, succurrite: periclitamur.

*Adveniunt alii, Pylades capitur.*

Pylad. Fuga te abripe, mi Orestes; vim a te non valeo avertere nec diutius contra tam multos pugnare.

Orest. Tantum scelus in me cadere posse putas, ut in extremo periculo deseram amicum, qui in tot et variis malis fidus mihi adfuit. non faciam, sed tecum dulcem huius vitae usuram deponam. en, manibus vestris me trado, quia vera amicitia inductus ab hoc avelli non possum. ast, ne nos seiungatis, peto.

Opil. Regi primum sistendi, postea Vestalibus tradendi; ibi experientur, quid in hisce regionibus quaesiverint. sed, ne aufugiant, cavete sedulo.

## Scena quarta

<Iphigenia>

*Rustici cum captivis abeunt. Iphigenia e templo redit.*

- Iph. O Atridarum calamitosa gens, ita stirpitis deleta es; nam nex necem sequitur, et dolor dolorem extinguit. et ego infelicissima sum: nam etsi Achilli desponsata, Vlysses tamen omnium fraudum plenus ad sacrificium pro Graecorum salute me furatus est. Diana autem in truculentam hanc regionem me transportavit et sacris suis praefecit. in hoc templo ergo sine patre, amicis, viro et liberis transigi multos annos. sed acerba est mihi omnis vita: audiens enim mactandorum hominum flebiles voces, tanta afficior tristitia, ut saepius mihi exoptem mortem.

## Scena quinta

Vestales, Rustici, Iphigenia, <Subulcus, Opilio>

- Vest. Iphigenia, Dianae Sacerdos maxima: rustici adducunt duos captos peregrinos.
- Rust. En, duos Graecos adducimus; quos expiatis et flumine lotos secundum leges regionis nostrae Dianae offeres.
- Iph. Cuias sunt? et quibus signantur nominibus? unde veniunt?
- Sub. Casu in eos incidimus, non procul ab ara. Pylades, ni fallor, unus vocatur, alterius nomen ignoramus. exivimus ad maris ripas, ad abluendas boves; ibi casu in spelunca reperimus furtim absconditos. quos cum capere tentamus, alter clamat: 'stringe gladium, Pylades, et pro vita et salute dimica fortiter.' armati ambo fugant nos omnes, sed post longam pugnam alteri gladius manibus excidit, et ita cepimus. quo viso alter statim se captum nobis tradit, dicens sine hoc vivere se non posse et sequi velle usque ad mortem. Rex auditos et examinatos illos ad te mittit, ut iuxta leges conburantur.
- Opil. Ego inferorum manes esse existimavi, ob id adiuratione instituta ad inferos redire iussi. tandem unus post alterum exit.
- Rust. Inde collegimus peregrinos esse; ex metu enim specum ingressi sunt, quia audiverant forte de moribus huius regionis. dic, quid faciendum, num in conspectum tuum adducendi sint.

- Iph. Religioni parendum est, nec patrius mos contumaciter repudiandus. adducite ergo eos. interim nos apparabimus, quae ad sacrificium pertinere videntur. sed totum meum corpus prae ira sudore manat, ita immutata sum. nunquam volupe mihi fuit hoc sacrificium, dum spes erat de fratris salute; quem quia mortuum ominor, fervens difficili bile tumet iecur, et succenseo omnibus Graecis. utinam Helenam tempestatum fluctibus hisce terris appulsam Deorum ira mihi redderet! perciperem enim ex eius mactatione et combustionem summam laeticiam et voluptatem; nam Graecorum multos in Charonium misit. vel quod magis optabile esset, ut Graecus aliquis huc veniens in patriam me hinc abduceret. taedet enim huius sacerdotii et vitae, quia diu minime placere humani sanguinis sacrificium vel inde colligo, quia ad altaria mortuos et homicidas non admittunt. cur ergo sitient sanguinem humanum? hominum libido excogitavit hanc impietatem.
- Vest. I Bonum esset hanc consuetudinem abolere, quia nihil turpius, nihil foedius veritatisque vim facit manifestam. homo enim ad vitam factus est, non ad mortem.
- Vest. II Optandum esset, ut rectus de DEO sensus et rectus in DEVM cultus hisce populis innotesceret, relicta superstitiosa hac vanitate.
- Vest. III Iam miseri adducuntur: ah, quam insignes sunt iuvenes, aureo digni aevo.

## Scena sexta

Iphigenia, Rustici, Orestes, Pylades, Vestales

- Iph. Solvite vincula, sacrificia libera esse decet. vos, virgines, in templum ite et, quae nobis necessaria sunt, procurate. vos vero templum cingite, rustici, ne captivorum quis fugae se dare possit. ex quo natus es tu? parentes mihi nomina et familiam. estisne fratres? quo vitae genere vivitis? et quo fine has regiones accessistis?
- Orest. Quid ad te noster ordo et patria aliaque interrogata? ad quae licet prolixè respondeamus, tamen nos non liberabunt. quare perge ad illud, ad quod legibus vestris vinctos nos tenetis.
- Iph. Quis vestrum Pylades vocatur?
- Orest. Quid excrucias nos multis quaestionibus? quid voluptatis inde capies? sed hic ita vocatur.
- Iph. Patria quae est?
- Pylad. Enecas nos; scimus enim nos rigidum iusticiae praesidem nactos. ignoti moriamur, ne sint, qui illudant nobis. corpus hic consumitur,

fama cum anima ad superos tendunt; nec quid commodi ex ista scientia ad te redit.

Iph. Hanc mihi habete gratiam.

Orest. Graecus sum ex Mycenis ortus; in exilio versor volens, sed iniuste expulsus.

Iph. De Troia quid audivisti? floretne adhuc, an destructa iacet? reduxitne Menelaus Helenam? Graeci ex longa illa obsidione in patriam redierunt?

Orest. Troia, caput meae miseriae, in cineribus iacet; Graeci, quamvis pauci, redierunt; impudicissima foeminarum Helena iusto DEI supplicio e vivorum numero vi est erepta.

Iph. Calchasne adhuc vivit?

Orest. Mortuus est. sed quia tantam Graeciae notitiam habes, scire aveo tuam originem.

Iph. Graeca et ipsa sum. Agamemnon estne adhuc in vivis?

Orest. Huius, quaeso, mentionem ne facias; nam vel ad huius nomen totus exhorresco.

Iph. Quae subest causa, forsitan mortuus?

Orest. Iam pridem a nobis abiit, ad beata illa loca, sed praecipiti quodam fato. sed dic, cur ita graviter gemis?

Iph. Ipsum pectus mihi commovit infortunium, quod magnus Rex passus est.

Orest. Ille diu luctatus cum fluctibus maris emerserat et iam terram non videbat, sed tenebat; in ipso patrio solo spei suae ac nostrae naufragium fecit atque adeo ipsius vitae. nam Clytemnestra uxor maritum suis interfecit manibus; ita ereptus patriae et liberis optimus pater. sed ulterius, quaeso, ne interrogas me.

Iph. Quid ergo de uxore factum?

Orest. Proprius filius ei vitam eripuit.

Iph. O misera domus. sed est mare quoddam haec vita, fluctus in ea assidui, saepe tempestates; et iterum malitia et tranquillitas distinguit! felices, qui, ut periti et duriores nautae assueverunt, nec ad singulas concussionem nauseant et aegrescunt. ubi filius interea?

Orest. Nullibi consistit, in exilio oberrat.

Iph. Est adhuc, quod quaeram. locum, quaeso, da petitioni; mihi enim et vobis commodum erit. si te servavero, vis tunc literas, quibus inscriptae sunt, reddere? sed uno dimisso, alterum sacrificio me oportet offerre.

Orest. Grata est haec benevolentia et ingrata. grata, quod vitam mihi promittat, ingrata, quod amici funus annunciat. culpa enim omnis in me est, hic tantum comes fuit periculorum, sed fidelis; et propter me in has angustias venit. quare priusquam me salvarem, huius praeterita salute, ter mori mallet. vitam ergo pro hoc fundere, felicitatem duco maximam. huic igitur literas dabis; mandata namque recipiet et curabit diligenter. mihi inhonestum foret, prodere comitem fidelem. ne ingemisce, DEO ita visum; cui ego tam libenter,

tam fortiter pareo, ut manum non verterim, hoc fiat an illud. carnifex illud fatum te meque exspectat, sed alium alio tempore duci iubet magnus ille imperator. quare fatalem meam nec horam nec locum effugiam.

Iph. O altae indolis et nivei pectoris adolescens; o virtutis et fortitudinis ornamentum insigne, qui amici causa propriam destituis vitam, de amico plurimum, de te ipso minime laborans. quanta raritas talium ingeniorum in nostra regione. generosi parentis filium te esse oportet; utinam frater meus talis sit, quem iam a multis non vidi annis. sed si placet, huic ut dem literas, et tu mori tecum constituisti, hunc liberum in patriam emittam.

Orest. Quis mactat me? tune ita moribus feris immanique natura et ferrea es?

Iph. Officium sacerdotale [tale], quo iam a multis annis fungor, hoc a me exigit. sed ego abluo tantum corpus; vitam tibi qui auferunt, intus in templo latent.

Orest. Vbi tumultus erigetur mihi?

Iph. Sacer ignis consumit et redigit omnia in cineres.

Orest. Soror ergo sepulchrum meum non exornabit suis manibus?

Iph. Votum inane nuncupas, o adolescens; tamen, quia Graecus es, in meorum gratiam ad tumulum tuum lac et mel fundam et flores spargam. vos observate hos, literas afferam.

*Abit.*

## Scena septima

Vestales, <Orestes, Pylades>

Vest. I Tu, qui ad tuos redis, felicius illo, qui apud nos comburendus manet. sed, o Diana, quis suavis odor ex illis cruentis sacrificiis ad te aspirare potest?

Orest. Vt finis aerumnarum fiat, mori paratus sum. quare querelas mittite, suspiria suspendite. ut enim in scena partes qui peregit, personam vestemque deponit et libens domum abit, sic meus hic animus a temporario theatro in campum Elysium. audi, Pylades: Sacerdos eleganter Graece loquitur, et inquisitiones reliquae ostendunt, ipsam vel Graecam esse vel in Graecia diu vixisse. nam Calchanthem, Achillem, patrem meum, Clytemnestram et liberos nominat et literas in Graeciam mittere vult.

Pylad. Meum iudicium cum tuo coniungo tibi plane assentior. sed ad nostra revertamur: honori meo tenebras offundere vis, dum ita



summa me ignominia affectum a te remittere cogitas. ingressus tecum sum navem, omnibus interfui actionibus; simul ergo tecum moriendum mihi. nemo probabit illam inconstantiam: faedifragum omnes me proclamabunt, etiam proximi mei. existimabunt enim me prodidisse Orestem, ut bonorum haeres sim et in regno succedam. quare sine te non exhibo has terras, sed vel ipse igni sacro me comburendum dabo. sol citius suum cursum, quam ego relinquam tam diu sancte habitum nomen. ducenda namque simul ratio est et salutis et dignitatis.

Orest. Pectus mihi scindunt haec tua verba; tace ergo et noli mihi augere dolores maximos. quae tibi mortem persuadere putas, omnia contra te pugnant. tibi regio, subditi, bona, amici; mihi fortuna his omnibus ereptis solam ignominiam et infamiam concessit. e sorore mea liberos suscipiens, familiam nostram claram et florentem reddes. regnum et imperium suscipe, sed honorarium, quaeso, sepulchrum in patria mihi erige. sororem iube deflere et exornare illud. dic me hic mactatum et concrematum. in primis sororem ne deseras, pro amicitia nostra rogo. his vale, o amice praestantissime: omnia felicitia tibi opto.

Pylad. In morte me non vis habere comitem, quod me de tua in me benevolentia valde dubium reddit. o factum ab amico non amicum. sed quia summis votis a me id exposcis, faciam, quod petis. spero tamen lumen magnum nos aspecturum et omnia tristia in laetiores exitum directurum. aeterna enim lex est, ut laeta et tristia in vita et usu temperentur. sed quicquid evenerit, a te non discedam: viximus amicissime; una vivamus porro aut moriamur simul. amo enim primos illos meos ignes et in iis puriter liquesco. sicut amnes, mare qui influunt, salsuginem eius non mutant; sic in me, quodcunque periculum aut vitae discrimen inciderit, non diluet veterem amoris ignem.

Orest. Tace ferenda humana. Phoebus me decepit; actum est, virgo redit.

## Scena octava

Iphigenia, Pylades, Orestes, Vestales

Iph. Introite et parate, quae ad sacrificium. hae sunt literae. sed ne elusam me in fraudem inducas, sancte promitte, te traditurum illis, ad quos dedi.

Pylad. Cavebis ergo tu, ne remora mihi a tuis aut manus iniectio fiat.

Orest. Dextras iungite tessaram fidei et iuramento vos in vicem obstringite.

- Pylad. Accipe, do fidem: iuro tibi per Iovem sancte me amico inscriptas literas traditurum.
- Iph. Tibi, salvum ex his terris discessum me curaturam, per Dianam promitto.
- Pylad. Naufragium excipio; si enim omnia cum nave perirent, solus enatarem, liber a iuramento ero.
- Iph. Quapropter breviter tibi argumentum literarum dicam.
- Pylad. Cui sunt inscriptae literae?
- Iph. Oresti, fratri meo longe dilectissimo; summa haec est: scire te velim, Agamemnonis fili, Iphigeniam, quam putas pro Graecis mactatam, in his terris vitam agere. adolescens hic cum rediret in patriam, mi frater, nefas putavi, ut sine meis literis. ne silentium meum trahi possit in culpam, quasi oblivio tui fieret! absit, haeres mihi tu in medullis. et quia praesentem affari et alloqui non datur, literarum alloquio me uti oportet.
- Orest. Esne tu Iphigenia?
- Iph. Sile tu. ardet mihi animus amplecti te ante fatalem illum diem; quare peto atque contendo a te per omnia sacra, veni et educ me in patriam. in hac barbara enim terra crudeli sacrificio praesum et omnes peregre ad nos venientes sacrificare cogor. nisi veneris, pessima quaeque tibi imprecabor. quare noli moram trahere, sed quam citissime veni. cum mactanda fui, Diana cervam in meum substituit locum et me ad tam barbaros deduxit populos. sicut solem qui iucundum habemus, etiam cereum noctu aut candelam, sic tibi, ut spero, cum praesertim casus gravis me subduxerit, grata erit mea scriptio, quae vicem colloquii refert. tantum, si literae perirent, nunciato.
- Pylad. Continere et cohibere linguam diutius non possum, sed statim promissa efficiam et verbis suscepta pacta re ipsa praestabo. a sorore accipe literas, amicorum integerrime.
- Orest. Rumpor novitate et gaudio; et tamen metuo eventum. libera, o soror, ex uno patre et matre fratrem. cur me ita repellis?
- Iph. Novisti Lacaenam Tyndaris?
- Orest. Ita, avus meus Pelops fuit.
- Iph. Quo indicio mihi demonstras?
- Orest. Pugnam Atrei et Thyestae manibus tuis texisti, addidisti etiam regressum solis.
- Iph. Vnde huc ad tam insanos venis populos? infans adhuc fuisti, cum disiuncti sumus. quas patriae gratias debeo, quod te aluerit et tandem ad me transmiserit!
- Orest. Diis gratia, qui sensus ita rexerint, ne in me, fratrem tuum, inieceris manus.
- Iph. Licet res magna ex parte profligata sit, sublata tamen tota non est; nec evasimus omne periculum. propterea salubre capiendum consilium, quomodo cum amico evadere possis. molestias video atque discrimen adiunctum, nisi clementer te dirigat et servet ille, qui te huc destinavit.

- Orest. Et tu nobiscum ibis. vita enim sine te nobis haud vitalis.
- Iph. Vbi Electra nostra?
- Orest. Pyladis uxor est: dignitates, honores et bona cum ipso accepit plurima.
- Iph. Cuius filius est?
- Orest. Strophii Phocensis.
- Iph. Gratus sit adventus, affinis suavissime. quomodo interfectus est pater? et cur tu interfecisti matrem?
- Orest. Iam non tempus de his loquendi.
- Iph. Ergo ad te delata imperii dignitas?
- Orest. Menelaus vi occupavit, me exilio mulctavit.
- Iph. Quid quaeris ergo in his regionibus?
- Orest. Postquam manus matri inieci, conscientia et furiae me ita exagitarunt, ut nullibi consistere potuerim. Athenas ergo ivi et, quid iuris, rogavi; ibi media calculorum pars vita me donavit. postea Delphos veniens oraculum consului, quomodo mentis malo succurrendum. respondit, idolum huius templi una cum summa Sacerdote Athenas deportandum. quare, si vis Agamemnonis gentem servare, iuva me et monstra viam, oraculi veritati quomodo satis fieri queat.
- Iph. Idem diu cogitavi. sed tyrannus ita cautus est, ut non facile decipi possit; nec Diana permittet. sed quia me una cum imagine in navem recipere cogitas et in patriam reducere, simul possumus effugere; alias ego igni traderer.
- Orest. Te vel maxime adsumam; nam sine te iter infelix futurum omnino. tecum vivam aut moriar. si Dianae hoc improbaretur, Phoebus me hoc non iussisset.
- Iph. Si ergo tentandum aliquid et libertas quaerenda, audi consilium: Regem conveniam et dicam, manus vestras sanguinolentas esse, propterea sacrificium differendum; et prius ex vivo flumine aut mari corpora vestra lavanda esse, una cum idolo, quod, cum agnosceret parricidas vos esse, loco se movit. propterea inquisivisse me in facinus, et vos fassos esse, matrem filii manibus occisam. quare ex sanguine materno maculam conceptam, aliter elui non posse, nisi ad mare. tantum dicam Regi.
- Orest. Sed possuntne hae tacere virgines? taciturnitas optimum atque tutissimum rerum administrandarum vinculum.
- Iph. Optime, omnes enim ex Graecia sunt et libenter in patriam redirent, si modo affulgeret occasio.
- Vest. I Miserere nostri, o Rex, et in navem tuam accipe nos; fideles erimus et obedientes in omnibus, ut post tam diuturnas tenebras immanitatis sol nobis illuceat suavioris vitae.
- Iph. Expectate cum silentio meam praesentiam omnes.
- Orest. Phoebi oraculum tandem aliquando suum sortietur finem. et exitum res habebit, mea quidem ut spes fert, exoptatum, licet de ipso, quia nimis sero sequitur, saepius dubitavi. sed ecce, venit Sacerdos portans secum idolum; desiderio sciendi, quid referat, flagro.

## Scena nona

Iphigenia, Orestes, Pylades, Vestales

Iph. Videor mihi esse consecuta, ut optima spe niti possimus et eventum sperare quam secundissimum. quare, qui abitum cogitat, caveat, ne tempus extrahatur, sed in hoc momento discessum paret; nil enim cunctandum. sumptuosissima iactura tempus.

Orest. Iam demum intelligo, omnia prospere evenire sequentibus Deos, adversa spernentibus. tu, Phoebe, dux autorque nostri consilii, mirabiliter et praeter spem robur dedisti et huc nos deduxisti; reduc nos quoque in patriam, ut in otio et tranquillitate dies vitae nostrae claudamus. tu vero, Diana, felicem concede profectionem. Iphigenia soror, ad navem properabimus, quam sub arbustis non longe ab hoc loco abscondi. properandum, sed cum silentio; nam secundos ventus in Graeciam habemus. quae ex Vestalibus nos comitari volunt, sequantur.

Vest. II Captivae hic non sine magno dolore tenemur; cultus enim, ut vides, satis horrendus est. quare tandem liberari cupimus. sponte igitur sequimur et vehementer petimus, ut nos in comitatum assumas. abire tecum paratae, manere, perire.

Vest. III Vale, Diana, cum tuo templo et plus quam inhumano cultu; da, ut velis passis provehi liceat in portum patrium. vale, in Graeciam ibimus, quae homines alit ingenio, doctrina, fide et virtute his longe meliores.

Vest. I Vt flores quidam ad solem se vertunt, sic nos oculos et mentem ab his inhumanis locis ad amaena et dulcem patriam. Deus brevem faciat discessum, celerem reditum det ad nostros et successum. ante fati enim nigrum diem amicos nostros videre gestimus. quoniam ergo, qui nos duxit, abducit iterum, sequamur.

*Discedunt omnes.*

Finis

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1612 mit dem Titelzusatz „e diversis transcripta autoribus dialogi forma. Acta In inclyta Noribergensium Academia Altdorfina [...]“.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*, *ss* für *ß*, *caussa* für *caussa*, *foemin-* für *faemin-*, *lachrym-* für *lacrym-*, enklitisches *-ne* ohne Worttrennung sowie 1,10 *cum* statt *quum*, 2,1 *vindicanda* statt *vendicanda*, 2,2 *querelis* statt *quaerelis*, 2,3 *querelae* statt *quaerelae*, 2,3 *quanquam* statt *quam-*, 2,3 *exequi* statt *exsequi*, 2,5 *sumsit* statt *sumpsit*, 3,2 *laeticia* statt *laetitia*, 3,4 *iusticia* statt *iustitia*, 4,4 *simulachra* statt *-cra*, 4,6 *laeticiam* statt *laetitiam*, 4,6 *autoritate* statt *authoritate*, 5,2 *heu heu* statt *heu, heu*, 6,5 *nunquam* statt *num-*, 6,7 *Calchantem* statt *Chalchantem*, 6,9 *autor* statt *auctor*.

5,2 und 6,5 wurden ‘Anführungszeichen’ ergänzt. Unnötige ‘Kommata’ vor *et, atque* usw. wurden gestrichen, unpassende ‘Doppelpunkte’ ersetzt. Auf eine detaillierte Dokumentation aller Eingriffe in die Interpunktion sei hier jedoch verzichtet.

Stets groß geschrieben wurde *Deus, Rex, Regina, Sacerdos, Vestalis* sowie 1,6 *Venus*; stets klein dagegen *imperium, tyrannus, pater* sowie im ‘Argumentum’ *maritum*, 1,2 *amor*, 1,2 *sanctitas*, 1,8 *patria*, 2,2 *coelum*, 2,2 *charissimus*, 3,3 *fati*, 4,6 *socer*, 5,5 *barbarus*, 5,5 *leones*, 6,6 *carnifex, virtutis, fortitudinis*, 6,7 *sol*, 6,8 *idolum*. Die gelegentliche Hervorhebung von *DEVS* usw. durch Großbuchstaben wurde beibehalten, 6,5 entsprechend *DEO* ergänzt.

Vor den einzelnen Szenen wurden z. T. die Akteure ergänzt; dies ist dort jeweils markiert. Im 5. Akt sind die 4. und die folgenden Szenen falsch als *V-IX* gezählt.

1,3	07,04	<i>ah</i> statt <i>a</i>
2,2	14,34	<i>floci facit</i> statt <i>floccifacit</i>
2,2	15,02	<i>commodam</i> statt <i>commodum</i>
2,3	16,23	<i>ni</i> statt <i>in</i>
2,5	18,21	<i>obversatur</i> statt <i>observatur</i>
2,5	18,33	<i>Erynnis</i> statt <i>Erymis</i>
3,2	20,34	<i>fastigium</i> statt <i>vastigium</i>
3,3	23,02	<i>angustias</i> statt <i>augustias</i>
3,4	24,20	<i>identidem</i> statt <i>indentidem</i>
3,5	25,06	<i>animose</i> statt <i>aminose</i>
4,3	29,5ff.	<i>Hel., Elect.</i> handschriftl. Ergänzung am Rand
4,4	29,18	<i>exuviis</i> statt <i>ex iis</i>
4,6	31,35	kaum lesbar, wohl <i>corruptit</i> , handschriftl. verbessert zu <i>corripuit</i>
4,6	33,13	<i>et beneficia</i> (oder <i>benefica</i> ) statt <i>beneficia</i>
4,6	33,31	<i>autem</i> statt <i>aut</i>
5,3	38,10	<i>Vnius</i> statt <i>Vnuin</i>
5,3	38,45	<i>divitiis</i> statt <i>divitjs</i>
5,8	42,17	<i>restituito</i> handschriftl. Korrektur statt <i>restitutis</i> (?)
6,2	43,28	zu erwarten: <i>proditis et captis mortem</i>
6,2	43,33	<i>perlustrare</i> statt <i>per luctare</i>
6,3	44,21	<i>fratrem</i> statt <i>fratem</i>
6,4	45,03	<i>Iphigenia</i> statt <i>Iphigena</i>
6,4	45,04	<i>stirpitis</i> statt <i>stripitis</i>
6,5	45,22	<i>abluendas</i> handschriftl. Korrektur am Rand statt <i>abulendas</i>
6,6	47,27	<i>interrogas</i> statt <i>interrogos</i>
6,6	48,14	[ <i>tale</i> ] handschriftl. Korrektur
6,7	48,29	<i>aerumnarum</i> statt <i>erumnarum</i>
6,7	48,32	<i>temporario</i> statt <i>temperario</i>
6,7	49,03	<i>moriendum</i> statt <i>moririendum</i>
6,8	51,14	<i>consistere</i> statt <i>cousistere</i>
6,8	51,19	<i>queat</i> statt <i>qneat</i>